DESCRIPTIO APPARATUS
QUEM IN FUNERE
CAROLI VI.
IMPERATORIS
INSTITUENDUM CURAVIT
REGIUM CANONICORUM
A SCALA COLLEGIUM
ACCEDIT LAUDATIO FUNEBRIS HABITA

AB JOANNE LECCHIO S. J.

In Univerſitate Braydenſi Matheſeos Profeſſore.



M E D I O L A N I,
Excudit FRANCISCUS AGNELLI
ANNO MDCCXLI.

Digitized by the Internet Archive
in 2009

https://archive.org/details/descriptioappara00lecc

MARIÆ THERESIÆ

REGINÆ HUNGARIÆ, BOHEMIÆ &c.
ARCHIDUCI AUSTRIÆ &c.
DUCI BURGUNDIÆ, MEDIOLANI,
PARMÆ, PLACENTIÆ, MANTUÆ &c.
DUCI LOTHARINGIÆ, BARRI,
MAGNÆ DUCI ETRURIÆ &c.

PRÆPOSITUS, DIGNITATES, ET CANONICI A SCALA.

POMPAM Laudationemque habitam in Funere, quod AUGUSTISSIMO PATRI TUO CAROLO VI. IMPERATORI ſolvimus in hac Regia Dei Matris Æde, Tibi, SACRA MAJESTAS, Dedicamus,

earum-

earumque rationem omnem & modum oculis ſubjicimus. In quo erit fortaſſe qui ſuſpicetur, nos a reprehenſione temeritatis omnino non abeſſe. Videmur enim Parentis optimi memoriam deſideriumque renovare Filiæ, præſertim ejus amantiſſimæ, cum gravi animi ipſius offenſione; Teque, cujus nutum tot populi ſpectant, cujus cogitationibus ampliſſimis tot urbes atque provinciæ gubernantur, nullo conſilio interpellare, atque ad hæc privatæ pietatis officia, non ſine aliqua communis boni jactura, traducere. Atqui tanta eſt conſtantiæ Tuæ fama, tam pervagatus ſermo de humanitate Tua animique amplitudine, ut hæc ſuſpicio nulla eſſe poſſit. Nam, cum illud plerumque uſuveniat, ut, qui in magnis calamitatibus poſiti ſint, ingenti mærore debilitati vix quidquam dignum laude aſſequi valeant, animumque ab iis cogitationibus diligentiſſime avertant, a quibus vim dolori ſuo novam

adji-

adjiciendam putent : Tu conſtantia & fortitudine plane admirabili, vix Patre indulgentiſſimo orbata, cum vulnus in morte ejus acceptum vere ſentires, ita aggreſſa es ad maximum imperium regendum, ut nulla Te doloris acerbitas a ſummis occupationibus arceret diſtraheretque. Quin immo inde prudentiæ conſiliique leges repetere viſa es, unde a Femina, ſuaviſſimæ præſertim indolis, acceſsio doloris intolerabilis fuiſſet exſpectanda. Memoriam enim rerum a Patre Tuo geſtarum ſæpiſsime tecum reputans, optimam inde, tanquam ab abſolutiſsimo exemplari, gubernandi rationem exprimendam Tibi propoſuiſti. Et quamquam doles Magiſtratibus Arbitrum, Legibus Vindicem, Populis Patrem in CAROLO ademptum; hac tamen acerbiſsima recordatione ita non cadis animo, ut ea potius Tibi adjumento ſit ad id alacrius perſequendum, quod jam Tute ipſa præſtitiſſes. Hinc ſolita es graviſsimis publica

de

de re conſiliis intereſſe, normam ampliſsimis Magiſtratibus dare, iiſdemque juſtitiam commendatam maxime velle. Hinc a Te ſolerti diligentia proviſum ærario, exactiones, ubi res poſceret, diminutæ, annonaque minoris pretii magno pauperum commodo facta. Hinc demum Tua illa eſt, qua in primis movemur, humanitas; quæ virtus tanta ſemper in Te fuit, ut ea Tibi amoris obſequentiſsimi vinculis omnium animos adſtrinxerit. Quam ſæpe Te plenam ſuavitatis exhibes publice videndam? Quam benigne Te adeuntes excipis ac peramanter! Quam patienter aures Tuæ ſupplicibus patent! Quam denique ſinceras gratulationes, quæ omnium ordinum ſtudia, quos plauſus ad Te unam convertis illo, qui Tibi familiaris eſt, venuſto gravique genere comitatis! Jam vero quid vereamur, ne hæc Funeris deſcriptio, vel Tibi gravis ſit, cum Patris Tui laudes complectatur, vel importuna, cum ſumma ſis animi amplitudine, vel

minus accepta , cum nullum genus obſequii vel leviſſimi ſoleas non perhumaniter excipere? Quamquam nec integrum nobis fuit hanc officii ſignificationem prætermittere, cum, quæ accepimus a Majoribus Tuis beneficia, nos ad eam neceſſario impulerint. Quæ quidem quanta ſunt & quam ampla! Collegium enim Scalenſe , quod jam olim ab anno MCCCLXXXV., teſtamento clariſſimæ Feminæ Reginæ a Scala uxoris ſuæ, Barnabas Mediolanenſis Dux inſtituendum curavit; quodque Galeatii, Philippi, Franciſci , aliique Duces Mediolanenſes Vicecomites large liberaliterque auxerunt, hoc ſibi ex AUSTRIACA FAMILIA Imperatores ac Reges ornandum ſuſcepere confirmandumque. Exſtant adhuc Publicæ CAROLI V. Litteræ ad Urbis hujus Gubernatorem , ad Senatus Præſidem, ipſumque Senatum, cæteroſque tum temporis Reipublicæ Curatores datæ, in quibus bonis fortuniſque noſtris, atque dignitatis ornamento cautum maxime ,

veti-

vetitumque ne quid unquam moleſtiæ Scalenſi Collegio afferretur, neve ab eo vectigalia, neve exactiones ullæ exigerentur. Illius exemplo, miraque in Dei Matrem pietate adductus PHILIPPUS IV. HISPANIARUM REX eas Litteras Diplomate uno & altero confirmavit, addiditque præterea ſe ratam velle largirique iterum licentiam olim nobis a Ducibus Mediolanenſibus datam; uti nimirum ſtato die ex iis, qui extremo ſupplicio puniendi eſſent, vel pœnis perpetuis mulctandi, duos poſſemus arbitrio noſtro liberare. Quod itidem præſtitit CAROLUS II. HISPANIARUM REX, qui, cum ſuſpicaretur, ne illis, de quibus mentionem fecimus, Majorum ſuorum Litteris: obedientia obſoleſceret, eas ex toto renovavit. At illud, de quo gloriamur immortaliter, ornamentum eſt præſtantiſſimum a CAROLO V., & PHILIPPO IV. in nos collatum; quorum alter juſſit Ædem A Scala Regum vel Cæſarum propriam eſſe, eamque,

Sacer-

Sacerdotiaque ejus omnia pro Regiis haberi, atque Imperatoriis, alter vero, non id modo conſtituit, ſed inſuper, ut, ſi coram Regibus, vel Auguſtis in hoc Mediolanenſi Palatio ſacra forent peragenda, nobis unis eorum adminiſtratio reſervaretur; atque adeo perpetua lege ſancivit, ne cuiquam fas eſſet ſtatas ſolemneſque rerum divinarum cærimonias, quæ in Aula fieri conſueverunt, conficere, cum præſto eſſe poſſent Præpoſitus, Sacerdoteſque A Scala. Quo munere quid aliud excogitari poſſit illuſtrius, cum ii qui DEO O: M: & magnæ Dei Matri dedicati ſint Sacerdotes, Regum inſuper maximorum patrocinio plane ſingulari perfruantur? Quæ res uſu ipſo comprobatur, ne dum publicis litteris. Quotquot enim ex FAMILIA AUSTRIACA Cæſares ac Reges piiſſimæque Auguſtæ per hanc Urbem iter aliquando fecerunt, nihil habuere antiquius, quam ut Ædem A Scala publice adirent, in eaque ſacris myſteriis intereſſent.

Atque, ut ne de ceteris dicamus, celeberrima ſemper ac ſanctiſsima nobis erit illa dies, cum Te per Majorum tuorum veſtigia Aram Dei Matris adeuntem ad Templi fores excepimus. Multa jam ante de gravitate Tua, de modeſtia, humanitate, atque religione nobis fama prædicaverat; majora tamen vidimus, cum te præſentem intueremur. Quæ Tua erat in inceſſu Majeſtas? Quæ in ſermone affabilitas? Quam te facilem in officiis noſtris excipiendis præbuiſti? Mirati ſumus Te ad aras provolutam prolixas adeo preces fundere, vultu habituque ad pietatem ita compoſito, ut omnibus exemplo eſſe poſſes, quo demum cultu precari venerarique Superos oporteat. Jam tum plane firma cæpit eſſe ea ſpes, qua ſuſtentabamur, a Te nimirum exorandum quamprimum DEUM O. M, ut maſculam Tibi prolem concederet, daretque in ea Auſtriacæ Ditioni Heredem, qui Majorum ſuorum decora unus exprimeret, traduceretque ad omnem

poſte-

poſteritatem. Quod quando fortunatiſſimum tandem exitum habuit, noſtrarum eſſe partium exiſtimavimus, ut qui paulo ante inter Civium lacrimas Patri Tuo funus feceramus, in communi lætitia natalem Filio pompam inſtitueremus. Feſtivis idcirco ignibus Ædis ſacræ coronas, & faſtigia triduo ornavimus: & XIV. Cal. April., apparatiſſimo Templo habita ex tempore oratione ſuper JOSEPHO BENEDICTO AUSTRIÆ ARCHIDUCE ab uno e Soc. Jeſu, maxima omnium Ordinum frequentia Superis gratias ſolemni ritu perſolvimus, appoſita ad fores hac Inſcriptione.

D: O: M.
QUOD
MARIAM THERESIAM AUGUSTA PROLE
AUSTRIACAM DOMUM OPTATO HEREDE
SUBDITOS POPULOS PRÆSENTI PIGNORE
AUXIT FIRMAVIT EREXIT
REGIUM CANONICORUM A SCALA COLLEGIUM
GRATIARUM SOLEMNIA.

DESCRIPTIO

APPARATUS FUNEBRIS.

ÆDes A Scala, una hinc & altera inde columnatione in longum producta, in tres diviſa eſt areas, quarum quæ media eſt funebri pompæ deſtinata fuit. Columnæ & Zophori uſque ad cymatium conveſtita erant pullis periſtromatis, quæ faſciis diſtincta fimbriiſque ex auro argentoque operis egregie contexti ſpeciem habebant. Columnarum capitulis encarpi, concriſpata holoſerica, & ſigilla impoſita, quibus repræſentabantur inſigniores CAROLI VI. Virtutes. A porta maxima, ea parte, qua periſtylium reſpicit, & ab arcubus, qui intercolumniis imminent, pendebant tabulæ, in quibus inſcripta erant præcipua quædam monumenta pietatis, qua Dei Matrem Religioſiſſimus Imperator ſanctiſſime coluit; eaque ſingula cum ſingulis Gentilium ſuorum pietatis ejuſdem monumentis conferebantur, hoc plane ordine.

A POR-

A PORTA MAXIMA.

CANONICORUM A SCALA
COLLEGIUM
NUNCUPATIONE PARTHENIUM
PATROCINIO REGIUM,
COLLATA AUSTRIADUM CUM CAROLI SEXTI
IN DEIPARAM VIRGINEM OBSERVANTIA,
AUSTRIACAM VIRGINI,
PARTHENIAM CAROLO
TRIUMPHI AC FUNERIS POMPAM
ADORNABAT.

AB ARCUBUS

I

DETECTAS IN AMERICA INSULAS
CAROLUS QUINTUS,
SUSCEPTAS EX ELISABETHA FILIAS
CAROLUS SEXTUS
MARIÆ COGNOMINES INSTITUUNT.
AUSTRIADUM REGINÆ AC MATRI
REX SUBDITOS POPULOS DEDIT,
SOBOLEM PATER.

II

AD ARAM VIRGINIS
REGIAM CHLAMIDEM CAROLUS QUINTUS
SUSPENDIT,
CAROLUS SEXTUS
GLADIUM TRIUMPHALEM,
ILLE IMPERIUM RESIGNANS
HIC AUSPICATUS.

III

DEIPARÆ SINE LABE CONCEPTÆ
PHILIPPUS TERTIUS
ATHENÆA HISPANICA,
FERDINANDUS TERTIUS GERMANICA
SEMEL EDICTIS REGIIS;
DICTO EIDEM SACRAMENTO
SE IPSUM QUOT ANNIS OBLIGAT
CAROLUS SEXTUS.

I V

EXCITATUM A FERDINANDO TERTIO
IN VIENNENSI FORO
DEIPARÆ VIRGINIS SIMULACRUM,
STIPANTE CORONA POPULI,
ADORAT PROVOLUTUS IN GENUA
CAROLUS SEXTUS.
AVUS SCILICET MONUMENTUM POSUIT
NEPOS CONSECRAVIT.

V.

SODALITATES PARTHENIAS
DATO EISDEM NOMINE
FERDINANDUS TERTIUS EXCOLUIT,
PIIS SUPPLICATIONIBUS
A ROSARIO NUNCUPATIS
PALAM INTEREST CAROLUS
PRIVATUM ILLUD PIETATIS EXEMPLUM
HOC PUBLICUM RELIGIONIS SPECTACULUM:

VI

FRACTIS AD SAVUM THRACIBUS
CAROLUS SEXTUS,
DELETIS PERDUELLIUM COPIIS
ALBERTUS PRIMUS
UTERQUE
EREPTA HOSTIBUS SIGNA
OMNEM ARMATURAM FORTIUM
TURRI DAVIDICÆ.

VII

PARTHENIIS DOLORIBUS CELEBRANDIS
SACRAM REGINÆ MARTYRUM
RELIGIOSAM FAMILIAM
GERMANIÆ DEDIT RUDOLPHUS PRIMUS,
EORUNDEM CULTUM AMPLIFICANDO
SINGULAREM
HORARIÆ PRECATIONIS RITUM
JURIS AUSTRIACI TERRIS CURAVIT
CAROLUS SEXTUS.

VIII

AUREI VELLERIS EQUITES
PHILIPPUS SECUNDUS
MILITARES TURMAS
CAROLUS SEXTUS
DEIPARÆ VIRGINI NUNCUPANT ;
ILLE ORNAMENTUM PACIS
HIC BELLI PRÆSIDIA .

IX

FERDINANDUS TERTIUS PRAGÆ
CAROLUS SEXTUS BARCINONÆ
COLOSSUM VIRGINI
POSUERE
ALTER BELLI ARBITRÆ
TURBIS BOHEMIÆ COMPONENDIS ,
ALTER AUSPICI PACIS
PLACANDÆ HISPANIÆ .

X

EXCITATA IN MILITARE SIGNUM DEIPARÆ IMAGINE HUNGAROS JAM OVANTES REPRESSIT FERDINANDUS TERTIUS, COMMISSA SUB DIES EIDEM FESTOS CUM THRACIBUS PUGNA NON SEMEL A CAROLO SEXTO DEBELLATUM.


EI, quem hactenus deſcripſimus, ſimilis ferme erat loci apparatus, qui ſub Odæi ſpeciem claudit ſpatium illud, in quo Ara maxima. Verum quæ pompam hanc funebrem non mediocriter ſpectabilem reddidit, moles fuit erecta in media Æde. Non una in ea formanda Architecturæ ratio ſervata eſt, ut non Jonico potius, aut Corinthio, aliove inſtituto ſingulari conſtaret; ſed compoſita ex omnibus ſymmetria, quæ gravem & egregiam haberet auctoritatem. Suſtentabatur moles tota continenti ad modum ſtereobatis fabrica ab una ad alteram columnationem producta; ad cujus planitiem, quæ tres circiter pedes eminebat, aſcenſus erat per ſcalas duas pronao & poſtico oppoſitas. Hujus latera ornabantur paſſim ſcamillis, triglyphis, tæniiſque, atque lemniſcatis corollis; margini impoſitæ ac diſtributæ in girum columellæ faſciis graphice arcuatis inter ſe colligatæ: ad angulos vero ſtatuæ quatuor eximiæ magnitudinis atque operis, quarum una Europam, Aſiam altera, tertia Africam, Americam poſtrema repræſentabat. Altior ac

 faſti-

faſtigiata molis pars excavata intus erat ; adeoque paraſtatis columniſque, quibus innitebatur, a centro & margine ſuppoſitæ fabricæ diſtabat, ut circum in girum commoda ſatis ultro citroque euntibus laxitas eſſet, atque intus area, præterquam quod urnæ capax, ſacris præterea luſtrationibus a Præſule mitrato Collegioque univerſo faciendis more inſtitutoque Pontificum aptiſſima. Columnæ quatuor dimidiam partem ſtriatæ ad angulos exurgebant, & leni ſpatio interpoſito paraſtatæ totidem, quæ & cavitate ſua rotunditati columnarum reſponderent, & longius productæ ad latera antarum, ſeu verius antepagmenti vicem obirent: a ſpatio enim, quod unam inter & alteram paraſtatam erat portæ quatuor efformabantur. Hæ porro ornatæ erant concriſpatis holoſericis ab arcu ipſarum ſuperciliοque dependentibus; atque ad id protentæ extremæ partes velarii, quod conopæi in ſpeciem interiori cenotaphii cameræ appenſum, portarumque ſuperciliis alligatum hinc inde ſinuoſo flexu pulchre defluebat. Capitula columnarum totumque cymatium inaurata erant; & zophorum in girum ſigillis, faſciis, reguliſque verſicoloribus diſtinctum. In extrema parte machinæ, præter corollas, pyramides, urnulas fumantes, aliaque acroteria multa, viſebantur mutuli quatuor leniter arcuati, atque in zophori angulos incumbentes, qui vertice ſuo coeuntes baſim ſuſtentabant, cui globus ingens, globoque cum Aurei Velleris Torque Cæſaris inſignia impoſita, Aquilæ nimirum, & Diadema Imperatorium.

Hoc Ædis apparatu XIV. Cal: Jan: Exſequiæ celebratæ ſunt: urnaque ſacro ritu expiata, Joannes Lecchius Soc: Jeſu funebrem de laudibus Caroli VI. Orationem habuit ad Senatum & Magiſtratus, ceteroſque Mediolanenſes Patricios ac Cives, qui frequentiſſimi ad proſequendum funus Principis de ipſis, totaque Europa adeo benemeriti convenerant.


ORA-



Jacobuſ Manzonuſ Inv.


Ichnographia funebris molis.

Marcuſ Ant. Dal Re ſc.




Sciagraphia funebris molis.

Jacobuſ Ant. Manzoniuſ inuenit et del. Marcuſ Ant. Dal Rè ſculpsit



Orthographia Are maxime cum sciagraphia laterum, et Hemicycli circa ipsum

Ab hac inſigni pietate origo eſt perpetuæ illius felicitatis repe-



Orthographia lateriſ dextri

Marc Anti. Dall'e Sc.

ORATIO



QUod in medio ſacrificio, interque auguſtas cærimonias animos aureſque frequentiſſimæ concionis traducam ad memoriam & laudem optimi Principis, cujus mortem acerbiſſimam publico luctu proſequimur; id ſapienti ſane conſilio, ac prope divinitus datum atque oblatum mihi fuiſſe in hoc graviſſimo Imperii caſu videtur. Si enim de Cæſaris prœliis dicendum eſt, ea ſunt ejuſmodi, de quibus idem atque de Davide vera cum laude prædicare poſſem: *Prœliabatur prœlia Domini*: Si de CAROLI VI. victoriis loquor, de illis loquor, quas ille retulit in Arca tutanda, in Iſraele ſervando. Admonebat præterea me de ſingulari eximiaque CAROLI Religione hæc Ara Virginis, hoc Templum tot Auſtriacæ pietatis monumentis jam inde ab hoc Imperio condito veluti conſecratum. Quoties enim publicis litteris fama ſpectandum obtulit Cæſarem in Hiſpania Germania Italiaque ante Aras Dei Matris advolutum; ubi, cum primum Hiſpaniæ ſceptra capeſſeret, ſacramentum illud ſolemne dixit, quo ſe rei Catholicæ vindicem fore polliceretur; ubi rerum gerendarum omina capere, & hoſtium manubias ſuſpendere ſolitum accepimus; ubi denique ſe ac Imperium ſuum Virgini ſoſpitæ ſempiterna voti ſanctiſſimi religione obligavit. Ab hac inſigni pietate origo eſt perpetuæ illius felicitatis

repe-

repetenda : ab his fontibus CAROLUS ad hanc Imperii florentiſſimi amplitudinem, opes, famam longè lateque diffuſam profluxit. Quare omittantur alia, per me licet, quæ ſunt a CAROLO fortiter ac præclare geſta, quibus, dum viveret, aures noſtræ ſuaviſſime perſonuerunt; ſumma in illo fuere omnia: hoc tamen e multis ſeligo, ac perſequor hodie, quod ad hujus, in quo verſamur, loci ſanctitatem accomodatiſſimum eſſe viſum eſt, tantoque cæteris illuſtrius, quanto humanis rebus omnibus Religio, quanto Deus ipſe hominibus antecellit.

Quod ut quiſque veſtrum planiſſime intelligat, huc animos, quæſo, tantiſper advertite. Hic ordo rerum, inquit Auguſtinus, a Deo ſancitus eſt: Nati ſunt Principes tutandæ Religioni; at Religio ipſa, teſte Paulo, Principum tutela eſt; Nimirum nihil eſt rationi conſentaneum magis, quam ut Imperia inter & Religionem fœdus mutuum ac ſanctiſſimum intercedat; Religioni famulentur Imperia, viciſſimque Imperiorum cuſtos Religio ſit, firmiſſimumque præſidium. Conſtare ſuam huic oraculo fidem documento eſt CAROLUS VI. IMPERATOR. Ajo neminem omnium extitiſſe, qui Deo plus debeat, cujus adoleſcentiam tam præclarà optimorum parentum inſtitutione Deus excoluit, tot virtutum præſidio munivit, tam variis fortunæ caſibus exercuit, ut hoc velut tirocinio CAROLI animum Deus effingeret Imperio parem; cujus deinde ad Imperium progreſſio admirabilis incredibiliſque curſus plane declarat CAROLI felicitatem non tam humanis viribus & conſiliis, quam cœleſti quodam beneficio fuiſſe comparatam. Hoc primum. Ajo neminem fuiſſe, qui plus reddiderit Deo, atque adeo Religioni, cui imperium CAROLUS ita addixit, ut illa præeſſet, molemque totius Auſtriacæ ditionis cieret una; quam denique tot ſacris expeditionibus, ſanctiſſimis legibus, inſtitutoque vitæ ad omnem virtutis & officii regulam conſtanter exactæ religioſiſſime coluit, auxit, ornavit. Hoc erit alterum bipartitæ orationis caput mihi propoſitum ad dicendum.

Ac primum ſinite me quidem hoc loco, Auſtriaci Imperii propagatam ab aliquot ſæculis ad hæc uſque tempora gloriam & felicitatem paulo altius repetere, ut quibus gradibus Auſtria curſum ſemper tenuerit longe ſecundiſſimum, iiſdem etiam CAROLUM ad hoc honorum faſtigium perductum fuiſſe, facilius intelligatis. Circumſpicite quæſo animis orbis terrarum Imperia, & quoad longiſſime poteſtis præteritam illorum memoriam recordamini; Dicam paulo fortaſſis audacius, ſed vere tamen dicam, ex tot tantiſque, quæ ad hanc diem floruerunt, Imperium omnino fuiſſe nullum, cui quidem prolixius, ac cumulatius, Regnorum ille moderator Deus indulſerit, nullum, quod propenſiore cura benevolentiaque complexus ſit. Quanti porro faciendum illud eſt! Diuturnitas Imperii Auſtriaci tanta, quantam nulli hactenus contigiſſe meminimus; Neque enim e Chriſtianis Imperiis quidem proferri ullum poteſt, quod longius perpetuitate quadam ſucceſſionis propagatum fuerit. Poteſtne ſine incredibili in Auſtriacos Dei benignitate eſſe factum, ut ab annis amplius quadringentis, ex quo jaci illius fundamenta cœperunt in Rudolfo I., integrum atque incolume permanſerit? Nihil hic faciam imperite, neque inquiram curioſe in conſilia divinæ mentis, quæ minus haberent admirationis, niſi eſſent, quam longiſſime ab intelligentia communi ſenſuque disjuncta; Veruntamen, quoad homini conjectare fas eſt, una mihi præ cæteris ſingularem illam in Auſtriacos Dei benevolentiam provocaſſe cauſa videtur, Chriſtianæ pietatis vehemens, & incenſus ardor, & quod ei proximum eſt, ſummus in Eccleſiam, ejuſque Principem honor & obſervantia ſingularis.

Atque ut ne longius abeam, Fuit, fuit illa quondam iiſdem primordiis excitata felicitas CAROLI: hac via majorum ſuorum nobilitata veſtigiis ad Imperium evaſit; nimirum avitam hanc, ac prope domeſticam Imperii adipiſcendi firmandique artem Auguſtorum par illud nobile Eleonora, ac Leopoldus (quæ & quanta nomina!) impreſſam

preſſam reliquerant in cereo filii animo, ac penitiſſime inuſtam. Annon CAROLI animum ad ſatus Religionis accipiendos, ut cætera deeſſent, abunde præparabat ſpecies illa Auguſtæ ac Patriæ Pietatis plane eximia, quam intuens, in eaque dies noctesque defixus ad illius in ſe ſimilitudinem exprimendam, admonente natura, mentem operamque dirigeret? Quoties Leopoldus complexus filium jam publicis acclamationibus Regem Hiſpaniæ inauguratum identidem ingeminabat, illud Imperium eſſe firmiſſimum, quod Religione niteretur: variis e caſibus pendere hominum fortunam ſingulorum; at ex una Religione apta eſſe Regnorum fata; habere domi, unde diſceret, Deo aſſertore, ac veluti Statore: fortunæ caſus non eſſe extimeſcendos. Docebat quid anteactæ vitæ curriculo ſpectarit ipſe, quid egerit, Religioni pugnaſſe, huic viciſſe: radioque deſcribens Budam Hungariæ caput Religioni aſſertam, tot urbes Ottomanicæ Superſtitioni ereptas, quam ſæpe his vocibus pueri animum imbuebat: Hæ tibi erunt artes, hæc ſtudia, his tibi gradibus, Fili, ad opes gloriamque eſt enitendum; Te meorum pro Religione periculorum heredem ſcribo. Hæc illi jam tum præcinebat oracula fatidicus Pater non ſine inſtinctu afflatuque numinis.

Nam, videte quæſo, quam occultis conſiliis, quam tecta & inobſervabili via CAROLUM natu minorem divina Providentia ad Imperium informaret, ſenſimque proveheret, quem annos vix natum octodecim Hiſpanienſis belli velut tempeſtas ab Auguſtorum parentum complexibus repente divellit eo conſilio, ut in rebus ductu ſuo gerendis ab initio verſatus ætatis Imperii omnium maximi tirocinia adoleſcens poneret; cujus ea prima laus eſſet nihil debere fortunæ, ac longe a domo regniſque paternis ipſe princeps exercitus faciendi, & præſidii comparandi exteros ſibi populos adjungeret; maximas fœderatorum ædificari ornarique claſſes curaret, quarum robore ſuccinctus ad avitum Hiſpaniæ regnum capeſſendum primo quo-

que

que tempore advolaret. Et ſane quantis laboribus in hoc primo ætatis flexu fuit CAROLI vita diſtricta? Quid illo magis exercitum? Quam arduum erat adoleſcenti præſertim, ut Hiſpaniam Gallorum adventu intercluſam ſibi aperiret, tergeminum illud fœdus, Battavicum, Anglicum, Luſitanicum alieniſſimo tempore machinari! At quotuſquiſque Imperatorum fuit, qui tantum hominum atque terrarum armatus ſubegerit, quantum hic pacificis artibus ac fœderibus ineundis adoleſcens inermis devinxit? Qui velociſſimi ſideris more Germaniam luſtravit, Bataviam adiit, Britaniam exploravit, inde in ultimas Luſitaniæ oras cum claſſe venit, nondum tempeſtivo ad navigandum mari, tantumque meditando agendoque perfecit, ut impar viribus, ac ſolo regio nomine, hoc tamen mox obtinuerit magnitudine animi, præſtantia ingenii atque virtutis, ut diſſidentes inter ſe populos, neque minus ingenio, moribus ſtudiiſque disjunctos, quam intervallo terrarum, & linguarum ſono ſibi conciliaret tum conſenſione animorum, tum conſiliorum ſocietate; ut denique carus omnibus, & tot virtutum comitatu ſpectatus, germanicum robur, conſtantiam hiſpanicam, britanicam ſolertiam in aulis exterorum Principum ita exprimeret, ut jam tum perfecti Imperatoris Auſtriaci effigiem & formam in eo agnoſceres ex illa varietate peregrinarum laudum temperatam atque conflatam.

At qualis quantuſque apparuit, cum valida fœderatorum claſſe circumvectus Hiſpaniam, Catalauniam improviſo adventu cœpit! Te autem appello, CAROLE, quem ſive amoris, ſive doloris inani fraude decepti præſentem videmur alloqui; Quem potes recordari in vita illuxiſſe tibi diem lætiorem, quam cum Barcinonem invectus es, quæ ita te accepit, ut urbs ipſa prope convulſa ſuis ſedibus ad complectendum Auſtriaci generis & ſanguinis Principem CAROLUM quodamodo procederet? Qui concurſus ad te mox fieri cœpti? Cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ ſtudia tum laudi & gratulationi tuæ

e ſe

ſe non obtulerunt ? Quid dicam adventus tuos ? Quid efſuſiones hiſpanorum ex oppidis , occurſationes ? Nulla erat regio , urbs nulla , quæ CAROLUM , quocunque accederet, non affari , atque appetere videretur . Quid ? cum bellum repente exarſit , num priſtinus ille hiſpanorum ardor , qui caluit recenti re , interpoſitis armorum offenſionibus reſrixit ? Immo vero hac lucta concitatiores non recuſarunt , quin eam fortunam , quæcunque fuiſſet CAROLI , ducerent ſuam . Dura profecto omnibus conditio ipſius tum videbatur . At divino conſilio hanc formidoloſiſſimi temporis tempeſtatem oblatam illi fuiſſe crediderim, ut in eo armorum tumultu , non fictis & adumbratis concertationibus , ſed multis & bellicoſiſſimis hoſtibus , non legendis meditandiſque domi præliis , ſed ſuis ipſe periculis , non alienis denique auſpiciis , ſed ſuo ductu Imperioque ad ſcientiam rei militaris reliquaſque imperatorias artes erudiretur . Ecquid ego dicam de ſingulari illa Numinis providentia , qua factum eſt , ut tot deinceps certaminibus exercitus , tot jactatus incommodis , tot ærumnis atque anguſtiis circumventus , præter fidem hominum plerumque victor , ſalvus ſemper atque incolumis evaſerit ?

Quod enim (Deus immortalis !) tempus illud fuit , cum intentis in hunc unum potentiſſimi Regni viribus , ſolus ex adverſo , invictus quidem ille & conſtans , ſed prope deſertus conſiſteret ? Aliud ex alio mihi occurrit . Memoria tenetis quam crebris per ea tempora ſermonibus uſurparetur obſidio Barcinonenſis , cum CAROLUS terra marique ab exercitu ex hiſpanis galliſque conflato interclusus premeretur . Obſidionis graviſſimæ pondus ac rerum molem ſolus ſuſtinuit CAROLUS Barcinone . Omnem belli aleam illius arbitrio commiſerat Leopoldus Pater ; ſed , cui rem tantam crederet , non ignorabat . Nemo unus erat vir tam fortis ad pericula , peritus ad uſum , ad caſum fortunamque felix , quo magis innixa urbs illa ſtaret , ad quam omnis belli Hiſpanienſis impetus prope conſederat ; Etenim Barcinonenſes rerum ſuarum trepidi , quos

repen-

repente a militibus, a fœderatis, a rebus omnibus imparatiſſimos bellum oppreſſerat, nervos illos priſtinos, atque inſitum animi robur pene abjecerant. At Carolus, quo propius cernit periculum, eo in ſpeciem erectior celſiorque, atque a divina providentia uſquequaque pendere certa quadam inductione animi aſſuetus, ſuos omni ratione confirmat; hortatur ne improviſo malo icti contrahant animos; proprium eſſe hiſpani generis ac ſanguinis demonſtrare quidnam divino fulta præſidio paucitas poſſit; Accita jam a Britannia auxilia propediem affutura; tantum interea ſe ipſi viros præbeant, ac ſpe jam præcipiant victoriam, cujus quaſi ſignum aliquod, ad bene de omni eventu ſperandum, ſuſpenſo ad aram Virginis Montisferrati gladio, annis ſuperioribus ſuſtulerat. Ejuſmodi vocibus publice privatimque obfirmato ad omnem patientiam militi tantum ardoris injectum eſt præſenti virtute Caroli, ut ad extrema omnia perpetienda potius, quam urbem deſerendam cuncti accenderentur. Quin etiam conſpiratio motuſque animorum uſque adeo incaluit, ut vel ipſæ hiſpanæ mulieres in eamdem laborum ac gloriæ ſocietatem ſeſe obtulerint; e quibus aliæ arma, contos, machinas, & quidquid ad repellendum hoſtem opus erat, raptim expediebant, aliæ ad mœnia dimicantibus viris aderant virili plane conſtantia, ut ſauciæ nonnullæ, vix obligatis plagis, ad inſtitutum redirent.

Hic enimvero veteranum Imperatorem ſe plane probavit Carolus. Erant multa fateor ab illo ſuperioribus annis præclare geſta; at nondum quidquam ita ſuo marte geſſerat, quin plurimum ſibi ex bellica laude conſiliorum duces decerperent; hujus vero gloriæ quam toto obſidionis tempore adeptus eſt, ſocium habuit neminem: Unus ducum omnium munera, ac pene militum obibat; præſto erat ubique, ut quidque locus & tempus tulerat, acer, vigil, experrectus, conſilio, manu, auctoritate, par omnibus muniis, omnibus major; cujus ea prima militaris prudentiæ laus, ac potior fuit, non temere in ho-

ſtem progredi, ſed imminentem operiri, ſed ingruentem excipere, ſed mora ſapienti, & in omnem eventum expedita cunctatione contundere, ſed periculum oculo irretorto contemplari, non frangi ejus diuturnitate, non vigilantiam, non laborem obluctandi contentionemque remittere. Quoties hæ amantiſſimorum militum auditæ ſunt querelæ, cum Regium caput tot periculis objectaret; Nollet communi periculo fortis eſſe; meminiſſet ex ſua unius vitam pendere omnium; Quis enim non incertos eventus martis communis, quis in tanta laborum aſſiduitate & gravitate humanos caſus, & naturæ ipſius fragilitatem non extimuit; cum Carolus inſideret equo dies totos cibi ſomnique expers, cum conſiſteret ſæpe intra teli jactum, ac prope ab hoſtium vallo, unde etiam exploſa muralis machina equites aliquos, qui tum adſtabant ejus lateri, repente aflixit; quo nuncio Europa omnis cohorruit? Trepidantibus ceteris periculi magnitudine, & attonitis, metuentibuſque Carolo, arridebat ille fidentius, & ſuorum timorem, vultu fiduciaque ſua diſcutiebat. Equidem non hiſpanorum militum excubias, & cuſtodias, non laterum illorum oppoſitus & corporum præſidio fuiſſe vitæ Caroli reor, ſed Dei Matris tutelam plane ſingularem, qua nonniſi attente conſulta, ac propitiato prius Deo, nihil majoris momenti aggredi ſolitum accepimus. Qua in re, ſinite, me paulo longius abduci, ut cœleſtis hujus præſidii inſigne monimentum perſequar, quod multorum jam ſermone percrebuit, eorum præſertim, qui Barcinone, dum hæc agerentur, nuſquam a Caroli latere diſcedebant.

Jam ad arcis pene foſſam aggerem vineaſque perduxerant hoſtes; nullaque interjecta mora urbs concuſſa tormentis muralibus quadraginta ſex, quorum alia in propugnaculum, alia in cubiti flexum dirigebantur. Haud intermiſſa verberatione aliquantum prociderat muri, & propugnaculum S. Filippi ſolutis compagibus metuendo hiatu diſceſſerat. Omnino facta mœnium labes tanta videbatur,

quan-

quanta ſubituris viam ſterneret ; extemplo circumſtant CAROLUM , trepidique edocent , ni ſuppetiæ quam primum ferantur , ultimum haud dubie urbi imminere diſcrimen ; in tanta propugnatorum paucitate contra tantas hoſtium copias negabant locum obtineri poſſe diutius ; ſpem infinitam perſequi nollet ; officio, ſi quid etiamdum debuerat, factum ſatis. Quare magnopere ſuadent CAROLO , ut tam acciſis in rebus urbe excedere , quam belli fortunam temere periclitari mallet. Egregia velocitate navis ad fugam offertur . Unum ſentire omnes , unum ſtudere , ut ſe ſervet incolumem , in quo tota nitatur Hiſpaniæ ſalus, ac ne temporibus excluderetur, maturandum ajebant. Omnino probabilia videbantur afferre , & humano judicio rem æſtimantibus etiam neceſſaria ; quare cunctantem denique perpulerunt , ut inclinante ſub veſperam die tempori cederet . Vix iter ingreſſus ſilenti nocte clam civibus conſpicatus prope urbis propugnaculum ædiculam Dei Matri ſacram , cujus fores id temporis (forte ne , an divino conſilio?) recluſæ erant, ac religione loci admonitus cœptum iter abrumpit , ſacellum ingreditur, ac Numine ſalutato , cœleſtem opem & ſupplex exorare cœpit ipſe , & aliorum precibus juſſit expoſci . Dein precatus Virginem Matrem, uti volens ac propitia ſibi adeſſet, in tanta rerum ac temporum iniquitate , diu multumque provolutus in genua , ac meditanti ſimilis preces ad multam noctem extraxerat . Jamque aulici veriti , ne ſtudio ſuorum deeſſet CAROLUS , iterum ac tertio monent feſtinato opus eſſe ; in eum locum deductam rem eſſe , ut minimis momentis maximas rerum fieri poſſe inclinationes pertimeſcerent . His ſtimulis percitus CAROLUS, atque ad ſuos converſus , quaſi futura præſagiens , familiari ac placido vultu ; Deus , inquit , meliora ; tantum fiducia ne deſit . Si paulum adnitantur , victoriam eſſe in manibus . Hæc ea animi conſtantia effatus eſt , ut ejus oratio omen victoriæ videretur . Quare mutato repente conſilio , rejectoque navigio præter omnium exſpectationem domum re-

greditur.

greditur . Nihildum erat allatum de adventu ſocialis claſſis ; quin immo ea ſpe jam prope exciderant cives , ac alia omnia cogitabant : nam maritimos curſus præcludebat hiemis magnitudo . At ecce tibi , vix poſtera dies dilluxerat , qui in turribus & editis mœnium propugnaculis verſabantur , & mare eminus proſpectabant , claſſem , inclamant , ſocialem claſſem ! Fœderatos jam jamque adeſſe ; fatidicum Carolum , dignum orbis Imperio Principem , cujus gloriæ tot muneribus natura , virtus ornamentis , fortuna victoriis , Deus ipſe oſtentis pœne cæleſtibus obſecundaret . Diditur per urbem rumor ; ilicet fauſto plauſu perſonat urbs , nec dubiis ominibus victoriam in poſterum facilem quiſque præſumere . Quid tum Carolus ? Recte habet , inquit ; at cæleſtis promeriti plane memores nos probemus ; Itaque in tanto armorum tumultu motuque animorum curam hanc cæteris prævertendam ratus , nulla interpoſita mora ad templum Dei Matris , quod Barcinone colitur , tum religione loci , tum Caroli Quinti ſceptro , & chlamyde ejus tholo appenſis , Hiſpania tota celeberrimum pedibus ire inſtituit , effuſa ad ſpectaculum urbe tota .

Quid ab hac ſingulari pietate non fauſtum , fortunatumque polliceri ſibi jure poſſet ? Quare date mihi hanc veniam , ut perpetuo illo rerum ſecundarum curſu pauliſper provehi me quodammodo ſinam . Ecquæ pars enim terrarum fuit , quam vel ejus auſpiciis conſilioque , vel ejus ductu victoria Imperii Auſtriaci non peragraverit ? Diſcuſſa ubique hoſtium conſilia , fracti conatus , urbes obſeſſæ , captæ , & ingenio loci , & artis præſidio munitiſſimæ , Alcantara paucorum dierum mora ad deditionem compulſa , interceptis commeatibus ; Aragonia victoriis luſtrata ; Matritum in poteſtatem redactum ; Baleares inſulæ primo belli impetu occupatæ ; Starembergius in Hiſpania , Eugenius in Germania , Belgio , Italia , Caroli auſpiciis , gentium victores ; Flandria fuſis ad Aldenardam hoſtium copiis , clauſtriſque perfractis patens & aperta ; Hoſtis ad

Hocſte-

Hocſtetum in Germania ; ad Taurinum in Italia victus, fugatus, caſtris, armis, ſpe exutus ; Auſtria, ut omnium, ita ſui prope victrix, vixque tantæ fortunæ capiendæ par ; CAROLUS hujus auctor cuſtoſque felicitatis ſeipſo major in dies.

Neque vero mediocribus periculis parta a CAROLO tanta felicitas fuit. Teſtis Almanaria, quæ illum admirata eſt prima in acie per cædes peditum equitumque vadentem ubi acrior pugna, morſque præſentior. Teſtis eſt celeberrima illa pugna, quæ hoſtium vires penitus attrivit, ad Cæſarauguſtæ mœnia, & in ipſo prope civium conſpectu commiſſa. Quid? cum ſigno pugnæ dato, illum in primis ordinibus conſpicuum exerto gladio longe procurrere, non minore hoſtium, quam ſuorum trepidatione viderunt, ignitoſque tormentorum globos ante illius pedes volvi, ac quatuor qui lateri Principis forte aderant, primarios duces ictos concidiſſe exanimes? initoque jam certamine, cum animadverteret periculum eſſe, ne pars hiſpanienſis equitatus ſub initium pugnæ locorum iniquitate præpedita, & ferreo vexata nimbo, laxaretur demum ac fatiſceret, collegit bis terque militares turmas in unum, atque in primum agmen diſtricto enſe provolans ducem ſe disjectis ordinibus obtulit non ſemel, nutantem aciem ſuſtinuit, effecitque ut miles exemplo accenſus, atque adeo inſito in ſuos Principes, ac ſtirpem Auſtriacam ſtudio, de vita mallet, quam de ſtatione decedere. Sed quod longe illuſtrius eſt, qua modeſtia, qua pietate fortiſſimus Imperator, & juvenis, & virtutis ſuæ conſcius, & in ſenſu recentis victoriæ, Cæſarauguſtam triumphantis in morem invectus eſt? cui nihil antiquius fuit in tanta celebritate famæ, quam ut, militari adhuc pulvere decorus, recta ad Templum illius urbis maximum contenderet, ubi non humanis viribus partam, ſed cœlo delapſam victoriam, Deo ſuperiſque gratularetur.

Hac perpetua felicitate uſus CAROLUS, animum mox adjecit pacandis dirimendiſque inteſtinis Hiſpaniæ diſſidiis,

quo-

quorum æſtus, ut in bellis civilibus uſuvenire ſolet, nondum penitus deferbuerat. Erat inter Principes viros minime obſcura diſſenſio; diverſæ etiam voluntates populorum fuerant diſtractæque ſententiæ; non enim armis ſolum & caſtris, ſed ſtudiis etiam diſſidebant. Perſuncta erat Hiſpania miſero fatalique bello; at verendum erat, ne armis vel poſitis, vel ereptis animum plerique retinerent armatum. Quæ tamen omnia CAROLUS clementia ita reſtinxit, ut quæ in ejuſmodi victoriis ſemper vidimus, ea CAROLO victore nemo ſenſerit. Quid enim tam cuiquam inſitum atque infixum fuit, quam ejus naturæ manſuetudo atque humanitas? Quis optime de ſe meritos tam prolixe liberaliterque remuneratus eſt, quam is infenſos quondam, atque inimicos homines ſibi ampliſſimis beneficiis, atque honeſtiſſimis conditionibus devinxit? Quibus artibus, quale in CAROLO pignus futuræ felicitatis divinitus datum ſummo Hiſpaniæ tempore videretur, quid me attinet commemorare? Voſmetipſi vobiſcum recordamini.

Jamque tot bellorum æſtus feliciter CAROLUM prætervectum Regem ſalutaverat Hiſpania. Nimirum tot terra marique exhauſtis laboribus, deſponſa jam illi ac deſtinata tanta felicitas videbatur. Huc tergemini fœderis opes, claſſes, huc Joſephi Fratris vota, ſpes, auxiliares copiæ collineaverant. At ecce tibi altera jam CAROLO rerum ſeries naſcitur novis etiam impedita difficultatibus. Quo mihi jam planius conſtat in illo uno maxime occupatam videri voluiſſe illam rerum humanarum moderatricem, illam Regnorum arbitram dominamque fortunæ divinam Providentiam, cujus conſilia in hac adminiſtratione, motuque armorum plane abdita, ab inſtituto jam curſu retroacta ſubito flecti, & circumagi vidimus, & aliam prorſus inire viam, eoque evadere, quo nemo putabat. Nolite quæſo a me commemorari velle, quam vaga rurſus volubiliſque fuerit illius fortuna, quæ proſpera adverſis momento intexeret ac miſceret. Tergeminum porro illud fœdus, tot juratum populis, tam multis obſtrictum vinculis, quo uno res hiſpa-

hiſpana ſtabat, divulſis Britannis, reliquis, ut conjicere pronum erat, brevi dilapſuris, concidere oportere ac penitus diſſolutum iri Carolus multo jam ante proſpexerat. Intelligebat nimirum ſapientiſſimus rerum æſtimator hanc eſſe conditionem fœderum, ut ſua quemque fœderatorum utilitas moveat, perire totam compagem, cum aliqua ex parte vitium facere cœperit; At ille, qua erat animi altitudine, totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua poneret omnia, neque ſe obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine rerum ſinens, omnem illam temporum fortunæque converſionem ſolus ex adverſo excepit, ſuſtinuit, ac novis etiam bellorum fluctibus ſeſe committere jam tum parabat. Meminiſtis quam ſæpe fortunæ Caroli iraſcebamur? Quam ſæpe illius vicem doluimus? At hoc veluti ludo divina ſapientia Carolum ad Imperium provehere feſtinabat. Hæc illi a Deo tum tanquam fata in illa caligine temporum concinebantur.

Namque eo ipſo difficillimo tempore, quo Carolum variæ torquebant curæ, ecce ſubito nil tale opinanti gravem acerbumque afferri nuncium: Joſephum Imperatorem fratrem natu majorem terris ereptum, tibi, Carole, Imperium, te Imperio relinquere; confugere in ſinum tuum concuſſam repentina calamitate Chriſtianam Rempublicam, ruenſque Imperium Germaniæ totius voce tibi delatum. Enim vero cohorruit Hiſpania univerſa, Barcinonenſes vero hac denunciatione perculſi pene conciderant. Erat enim Carolus in oculis illius urbis, colebantque eum populi ſic ac diligebant, ut ſua bona ſibi diripi, vitamque adeo eripi mallent, quam Auſtriacum ab ſe divelli Principem, & Carolum præſertim diſtrahi paterentur. Quare amantiſſimorum civium querelis aures illius quotidie perſonabant: quin reſpiceret hanc populorum fidem, qui bona fortunaſque in communionem ſuorum temporum contulerant, quemcunque curſum fortuna dediſſet; hanc animorum conſpirationem confirmandis jam viribus, procurandæque ſuorum ſaluti adhiberet; cur alia ex aliis in bella ſe vocari

ſineret? Ecquid animadverteret rem hiſpanam eo loci perductam diſceſſu ſuo mancam ac debilem futuram? Meminiſſet haud mediocribus ipſum vinculis adſtrictum Hiſpaniæ retineri. Hic ſedes, hic Auſtriacæ ſtirpis inſignia, hic monimenta majorum. Neque hæc CAROLUS non intelligebat; ſane cum tot civium lacrimas quotidie videret, omnium hiſpanorum, qui duris quondam temporibus, ejus ſeſe rebus addixerant, illius pectus memoria effodit. Verum ita poſcentibus Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, publicam felicitatem privatis rationibus potiorem duxit; Hiſpaniam tot ſibi nominibus obſtrictam dimiſit, ut ad eam Chriſtianæ Reipublicæ partem convolaret, quæ maxime laborabat.

Atque ut more inſtitutoque majorum Imperii primordia a Religione auſpicaretur, progreſſus ad Aram Virgini Sacram Barcinone, corona aulicorum ſtipatus: *Tibi*, inquit, *Regum Mater*, *Catholicæ rei*, *Romano Pontifici hunc enſem voveo*, *quem nunquam vaginæ reddam*, *donec Eccleſiæ pax per me ſit parta*: ſimul eripit lateri, traditque voti reus tholo Deiparæ affigendum. Hac ſponſione ſanctiſſima obſtrictus Cæſar, qua Imperium divino præſidio partum Deo ac Religioni jam tum dedicaverat, claſſem conſcendens, & Hiſpaniam ſine fine reſpiciens in Italiam idonea tempeſtate tranſmiſit. Ac primum qui dies ille fuit, quam nobis omnibus felix & exoptatus, quo die Cæſarem intra hæc mœnia excepimus, & ſalutavimus Imperatorem? Quis tacito ſinu, quis domo ſenſum exilientis animi voluptatemque continuit? Non dicam inſtratos oſtro auroque, quacumque vehebatur, domorum parietes; ſed illa gaudia loquor procurrentis obviam ſine lege, ſine ordine populi, illos, qui exſtabant in omnium oculis, & muto in ore loquebantur, geſtus nutuſque conſpirantium animorum interpretes longe certiſſimos. Meminiſtis, qua majeſtate, ac humanitate plane Imperatoria, obſequia vel infimorum acciperet eo vultu, quo res Europæ componebat; Proximo, altero, tertio, reliquis conſecutis diebus

non

non intermittebat, quaſi donum aliquod quotidie afferre amantiſſimæ Civitati.

Hactenus dedimus Principem, quem ſola Religio omnium ſemper conſiliorum rerumque geſtarum adminiſtra & comes in hanc Imperii & gloriæ lucem eduxit; jam quid Religio hujus artifex, cuſtoſque felicitatis CAROLO debeat, hac altera Orationis parte, exequar. Quid enim deinceps laboravit, aut quid egit, niſi ut avitam Religionem ſartam tectamque cuſtodiret? Atque ubi primum e ſolio deſpectare Imperium univerſum CAROLUS cœpit: cum videret Thracem, etſi paternis Leopoldi triumphis vehementer debilitatum, tantum tamen opibus conatuque jam invaluiſſe, ut omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli; ſed ad comparationem novi contuliſſet: ac præterea cum multorum litteris ac nunciis, Venetorum præſertim, jam audiret, Acmetem Turcarum Regem ad Ægeum mare terreſtres navaleſque copias intentiore delectu contraxiſſe: enimvero exarſit CAROLUS, ſanctamque induciarum fidem obteſtans, ſuarum eſſe partium duxit commune fœderatorum periculum ſubire, atque excipere unum pro univerſis. Meminerat enim ſe, cum primum fauſtis ominibus Imperium auſpicatus eſt, hoc dixiſſe Sacramentum, ut avitam fidem pro virili tueretur; ſe Imperium a Deo accepiſſe, quod Deo ſervaret; Præterea recurſabant animo præclari illi Religionis defenſores, Caroli, Ferdinandi, Leopoldi, quibus editum ſe gloriabatur, quique jam inde ab exortu Imperii, Turcarum in Europam adventum intercludendum putaverunt. Horum pietatem ac magnitudinem æmulatus Cæſar, ut primum rerum potitus fuit, quamquam & finitimis, & domeſticis implicitus bellis, in eandem tamen laudem acerrime incubuit, ac non modo opinionem vicit omnium, ſed etiam gloriam ſuperiorum.

Vere enim mihi hoc videor eſſe dicturus, bellum Turcicum CAROLO Imperatore geſtum eſſe, antea tantummodo repulſum. Equidem cum Ottomanicos impetus totamque Aſiam copiarum multitudine efferveſcentem in

Europam, atque in Auſtriam erumpentem, ægre ſæpius repulſam, & cervicibus interclusam ſuis vix ſuſtinerent Imperatores Auſtrii, ſemper illas nationes, cum quibus antea quoque continentia bella interceſſerant, refutandas potius armis, quam laceſſendas putaverunt; Ipſe ille Leopoldus Pater, cujus divina atque eximia virtus magnis Germanici Imperii luctibus funeribuſque ſubvenit, influentes in Auſtriam Turcarum maximas copias ad Viennam utique repreſſit, contrivit, compulit; vix ipſe ad eorum urbes ſedeſque brevi ac ſubita excurſione penetravit; modo Joſephus Frater fortiſſimus Imperator ortum repente bellum Hungaricum, atque improviſa illa conjuratione excitatum minutis prœliis fregerat, & ea victoria contentus, Hungaria metu liberata, quieverat.

Etenim, quam volumus, licet, ipſi nos amemus; tamen quis eſt tam ignarus rerum, qui non intelligat Cæſarum opes alendo diutius inferendoque bello nequaquam pares olim fuiſſe? At Imperatori Carolo neque animus, neque facultas, neque tempora defuerunt; quominus grave ac diuturnum bellum conficere e ſententia poſſet. Neque enim illius par conditio atque illorum fuerat. Quotus enim quiſque Cæſarum fuit, ex omni memoria Germanici Imperii, qui cum Carolo VI. aut regnorum amplitudine, aut vectigalium copia, aut militum numero, robore, diſciplina æquari conferrique poſſet? ut ſatis jam conſtet divinam Providentiam adverſus communem omnium hoſtem, quo tempore ſecundis rebus ferox orbi Catholico extrema omnia metuenti imminebat, Imperatorem omnium maximum, objeciſſe, qui non modo inſignia victoriæ, ſed victoriam ipſam ab infenſiſſimo Tyranno reportaret.

Quamquam, ut cætera deeſſent, quæ Carolum pro tantis opibus tantaque dignitate Imperii ad bellum hoc ſuſcipiendum conficiendumque impellerent, accedebat gravis illa cura & ſollicitudo digna Imperatore Catholico, digna conſilio Principis in poſterum quam longiſſime proſpicientis. Intelligebat nimirum Imperii fines neutiquam

mu-

munitos; Arces finitimas Ottomanicæ ditioni in tam varia præteriti belli fortuna partim vi captas, partim dirutas; quidquid increpuiſſet, Thracem timeri, pleraſque Hungariæ partes a gentibus aut inimicis Germanico Imperio, aut infidis, aut certe immanibus, & barbaris, & bellicoſis teneri, quas nationes nemo unquam fuit, qui non frangi domarique cuperet. Et ſane obverſabantur oculis Vindobonæ pomæria caſtris Thraciis adhuc diſtincta, & notata. Videbat Thracem, quamvis præteritis cladibus ſe perculſum & abjectum eſſe ſentiret, tamen retorquere oculos profecto ſæpe ad hanc Urbem Auſtriæ principem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe doleret.

Hæc meditanti Cæſari affertur nuncius bellum non comparari, ſed geri jam in Adriatico mari; Thraces capta Peloponneſo, in Italiam cogitare. Res Cæſari tota prævila, atque præcauta fuerat; Petrovaradinum Imperii propugnaculum, quod tanquam in ore atque in faucibus erat ſuorum hoſtium, commeatibus, apparatu reliquo, rebuſque omnibus ad repellendum, & ad ſuſtinendum bellum idoneis multo ante præmunierat. Quare cum nihil magis eſſe timendum Cæſari videretur, quam mora, continuo violatam Carolovitienſis fœderis Religionem in tempore vindicandam ratus victrices copias educit, & in Hungariam propere immittit; precatuſque ut ea res Pontificiis auſpiciis conſecrata, Chriſtianæ Reipublicæ, fœderatis populis fauſte, feliciter proſpereque eveniret, plurium dierum ſupplicationes templis omnibus ubique terrarum decernendas curavit. Hæret adhuc alte impreſſa ducum veteranorum animo præclariſſima illa & ſapientiſſima vox, qua voce Carolus Imperator, accito ad ſe Eugenio Sabaudo Principe, bellum Ottomanicum indixit. Res eſt plurimorum conſignata litteris, ne quis novum aliquod, aut fictum a me aut excogitatum afferri putet. Aderat totius aulicæ nobilitatis flos. Tum Carolus ad Eugenium converſus, Imperatoria quadam tum dignitate, tum majeſtate; Gratulor, inquit, tibi novum Imperatorem obtigiſſe, cui ſervias. Hæſit ad

hæc

hæc Eugenius. At CAROLUS regia chlamyde educens aureum Chriſti ſimulacrum e gemmis clariſſimis, opera mirabili perfectum, & Eugenio copiarum duci porrigens, cum hac pietatis epigraphe: *Jeſus Chriſtus Dux, & Imperator*: huic, inquit, poſthac pugnabis, huic vinces. Hæc dicentem, quæ tum admurmuratio procerum conſecuta eſt incolumitatem, & victoriam comprecantium!

Et mirabimur belli illius exitus fuiſſe vel ita ſecundos, ut quodcunque ſolum a Cæſareis militibus premeretur, illud felices lauros ſub veſtigiis triumphalibus protulerit; ita celeres ut ottomanico exercitu, ſemel ad Petrovaradinum, iterum ad Taurunum fuſo fugatoque, Hungariæ clauſtrum firmiſſimum, munitarum urbium ſpecimen quoddam obſeſſum, & expugnatum fuerit; ita inexpectatos, ut & hoſtium metum & ſpem noſtram ſæpe vicerint, Cæſareiſque legionibus in Croatiam, Boſniam, Serviam iter Turcarum internecione patefactum ſit. Harum victoriarum præco jam fuerat CAROLUS, qui certa divini præſidii ſpe fidens, ut olim Conſtantinus Magnus, certus erat vincendi, cum Labarum Crucis præferebat. Quanta repente lux oborta Chriſtianæ Reipublicæ, quæ bellis antea oppreſſa civilibus extollere jam caput cœperat, & aliquando recreata in ſpem priſtini Imperii recuperandi exarſerat? Quid enim ab ipſis Auſtriæ incunabulis, quid priſcis illis, atque heroicis temporibus geſtum eſt illuſtrius? Multas equidem ſummorum Imperatorum clariſſimas victorias noſtra patrumque memoria, aut vidimus, aut audivimus, quarum nulla neque tantam attulit lætitiam, neque rem Catholicam eo loci perduxit, ut non minor ad Cæſarem, quam ad fœderatos victoriæ fructus perveniret.

Cum enim totius belli maritimi impetus ad Corcyræ mœnia conſtitiſſet, eamque inſulam ſibi Thrax Venetæ ditionis januam fore putaviſſet, qua effracta & revulſa tota pateret Italia, perfecit CAROLUS, ut hoſtes ancipiti contentione diſtracti urbem fideliſſimorum ſociorum relinquerent, & arcem Imperii munire cogerentur: claſſis autem

Thra-

Thracia, quæ in Adriatico ſinu, contento curſu, acerrimo duce præfectoque claſſis Janone Cogia Italiam ſpe atque animis inflammata petebat, audita ſuorum clade in Hungaria, converſis proris vela faceret, Venetamque Rempublicam gravi periculoſoque bello debilitatam ad ſpem incolumitatis, & priſtinæ dignitatis erigeret. Itaque vix totis duobus annis bellum tam longe lateque diviſum, quo bello Græcia, Italia, Hungaria premebantur, continenti victoriarum curſu confecit; providitque in poſterum, ut contra impetum tranſgreſſionemque Turcarum non arcium, non fluminum præſidio, ſed victoria CAROLI, rebuſque geſtis Auſtriam munitam haberemus. At ecce tibi divinum Numen uno eodemque tempore novas jam illi palmas in Italia ſerebat, quas ut demeteret, vix reſpirans ab expeditione Hungarica, eo victorem exercitum tempeſtate difficillima deportavit; qui ad oram ſiculam claſſe delatus, deſcenſione facta, urbes partim vi, partim obſidione cœpit; Siciliamque univerſam, quæ ſic affecta erat, ut regiones illæ ſolent, in quibus bellum acerbum diuturnumque in magna varietate verſatum eſt, non terrore armorum, ſed celeritate victoriæ pacavit.

Jamque externis hoſtibus terra marique domitis pacem Imperio attulerat CAROLUS; reliquum erat, ut Conſtantini Magni pietatem imitaretur, qui pace univerſo Imperio reſtituta, reddendam quoque Religioni compoſitis ejus diſſidiis putavit, & Eccleſiam ab Arrianorum peſte vindicandam. Hoc ſui muneris putavit eſſe, huc mentem appulit. Abſit tamen, ego ut hoc loco facere convicium iis velim, quos nec erroris, nec Schiſmatis labes impedit, quominus, pro eorum ſalute, ut cum Paulo loquar, anathema eſſe appetam atque depoſcam. Verum ipſius cauſæ ac veritatis prævaricatorem eſſe me arbitrarer, ſi, quæ ab illis audiri poſſent ægrius, & cum Cæſaris laude omnium maxima mirifice copulantur, tacitus præterirem. Pervaſerat Lutheriana lues in Salesburgenſem comitatum a vulgi ſtudiis ad nobilium gratiam provecta;

una per illud Imperii latus Germaniæ totius Religio petebatur. At CAROLUS, qui primariam advocationem Catholici Imperii ſuſtinebat, tam præclaram de Chriſtiana Republica benemerendi occaſionem arripuit libens. Ac primo edictis & imperatorio jure, innoxio belli genere, ſibi utendum duxit. Eſtne aliquid ab eo factum, vel expreſſum ab invictis cum aliqua cujuſquam injuria? Quid non moderate? Quid non clementer? Quam plenæ humanitatis voces illæ Cæſaris: ſuæ ſint Lutherianis leges, ſint jura quædam alias conceſſa. Nolo me duriorem, quam velint, & acerbiorem experiantur. At quædam illi contra leges Imperii invaſerunt? repetantur ea ſane, ac reſtituantur. Jure ad injuriam abuſi ſunt? Abrogetur ejuſmodi, ſi quid eſt, ac irritum eſſe jubeatur. Templa in oppidis pagiſque Catholicis contra fas & æquum extruxerunt? eripiantur. Ingens æquitatis tuæ, CAROLE, & par gloria, ſeu jubeas ea rata eſſe quæ permiſſa, ſive etiam, quæ ſecus, reſcindi. Sed neſcio quomodo jam longo uſu obduruerat, & percalluerat in omnem contumaciam ſceluſque projecta Hæreſis. Quare, cum diu omni mora, ludificatione, & patriæ Religionis calumnia auctoritati Cæſaris interceſſiſſet, præciſe negavit imperata facere. Hæc gemebat Epiſcopus Salesburgenſis apprime Catholicus, dolebant boni omnes.

Hic aliquando, ſerius quam ipſe vellet, CAROLUS Imperator, excitavit illam ſuam non ſopitam, ſed ſpe & clementia retardatam conſuetudinem rei Catholicæ bene gerendæ. Non eſt paſſus ille Vir, qui omnibus bellis terra marique compreſſis, Imperium Germanicum Daciæ, & Mœſiæ terminis definiviſſet, Religionem everti ſcelere paucorum, quam ipſe non ſolum conſiliis, ſed etiam opibus ſuis ſæpe ſervaſſet. Acceſſit ad cauſam publicam; copias expediri juſſit. Non illum a propoſito revocarunt vani terrores, & meticuloſa quorundam de rei eventu male ominantium vaticinia. Vaticinium Cæſari certum Religionis vox fuit, quæ precibus lacrimiſque vindicem

im-

implorabat. Religio jubet, Cæſar armatus jubet: continuo omnia ſuperſtitionis templa Catholico ritu expiantur: vetat; plura hominum millia ritus prophanos deſerunt: proſcribit; Hæreſis, toto, quaqua patet, ſalesburgenſi comitatu exulat.

Quamquam, non armis tantum, & bellicæ Cæſaris virtuti ſuam Religio incolumitatem debet: immovero ſi ferro dumtaxat res agitur, nunquam ab omni parte Religio vincit: adjungatur illi oportet doctrinæ Catholicæ præſidium; ſic enim Hæreſis eſt; eripe illi errorem, armis non ereptis; arma detrahe, errore non detracto; Nihil egeris: utrumque conſpiret neceſſe eſt; utramque laudem in ſeſe Carolus feliciter ſociavit. Vos, vos appello valles Saleſburgenſis comitatus; vidiſtis non ita pridem illius opera miſſos, Imperatoriis litteris in eam rem datis, Sacerdotes Catholicos, qui rudem plebeculam præceptis inſtitutiſque majorum informarent. Quamobrem, ut Martiano Auguſto Patres Concilii Calcedonenſis Imperatori; peræque ac Sacerdoti acclamarunt: Ita Germaniæ Antiſtites, Imperatori Carolo non regium tantum, ſed etiam Sacerdotalem animum gratulabantur. Quæ eſt enim regio, quæ ſedes, qui locus, in quo non exſtent hujus cum fortitudinis, tum vero pietatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia? Vos, mutæ regiones, teſtor, & fines Hungariæ ultimi. Fuit illud aliquando tempus, cum propter antiqui Schiſmatis, & Arrianorum corroboratam vetuſtate audaciam Catholica Religio in illis provinciis hoſpes veluti, & peregrina, ac ne ſolum vertere cogeretur, anxia, non habebat, ubi pedem, prope dixerim, figeret in ſuo. Doluit Cæſar caſum, & orbitatem parentis optimæ & ſanctiſſimæ; illam omnibus officiis complexus aluit, erexit, excitavit, refuditque in ejus ſinum opes omnes, quas illa in filium amantiſſimum large congeſſerat. Itaque, non ſolum reſpirare ab iis anguſtiis cœpit Religio; ſed laxius & magnificentius, extructis ubique ſacris ædibus, habitavit; ornatum & pompam myſteriis auguſtiſſimis & cerimoniis adſcivit. Loquuntur id ſatis & clamant amplius quadraginta templa

in Temeſienſi comitatu recens extructa, Epiſcoporum fundatæ ſedes, Ædes Religioſorum Ordinum, Temeſii, Caraſſovæ, Orſovæ, eo conſilio, ut tanquam copiæ expeditæ ſtanteſque in procinctu, Maumetticam ſuperſtitionem, quæ a ſequiſæculo jam inſederat atque inveteraverat in iis regionibus, exterminandam curarent. Sclavonia vero procul a gremio Imperii, diſciplinis linguaque diviſa, cum in ultimis terris cincta Turcarum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, ſic a CAROLI munificentia exculta eſt, ut & Templorum magnitudine & frequentia & Evangelii præconum copia, quos regii ærarii impenſa alendos fovendoſque ſuſceperat, & ſanctiſſimis inſtitutis & legibus hodie finitimis gentibus facile antecellat. Quid referam quantum lucis attulerit Tranſilvaniæ, Valachiæ, Daciæque, ceteriſque provinciis, quarum pleræque partim cultorum inopia, partim inſita genti ſuperſtitione intermortuas Arrianæ labis reliquias etiamnum fovebant, ac in impia ſeceſſione perſtabant? Quam brevi Catholico ritu expiata Hæreticorum templa, atque illud in primis celeberrimum Divo Michaeli ſacrum, quod Arriani ſolido jam ſæculo Claudiopoli occupaverant? Ut ubique erectis ac dedicatis templis Cibinii, Coronæ, Carolinæ, Claudiopoli nova rerum facies inducta eſt? Atque ut procedente tempore Evangelici præcones probe ſubacto ſererent ſolo, providit Religioſiſſimus Princeps, ut erudiendæ juventuti Collegiis ac Scholis Societatis Jeſu, ex ejuſdem formula & diſciplina paſſim inſtitutis, Religio Catholica in eorum animos blandius illaberetur. Quas denique opes profudit in conſtituendis locupletandiſque Sacerdotiis tam ubere lætoque Romanæ fidei proventu, ut hodie in iis regionibus ſtet res Catholica Cæſaris inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis.

Multa mihi neceſſario prætermittenda ſunt ad ea properanti, quæ in Auſtriacæ ditionis gremio, atque adeo in ipſa Imperii ſede CAROLUS conſecravit, decora religioſæ munificentiæ, quæ nuſquam largior auguſtiorque apparuit.

Ac ne infinitus ſim, unum præ ceteris ſeligo in illo Religionis domicilio ac urbe principe dedicatum monumentum, ex quo de reliquis facile conjecturam capere poſſitis. Gliſcebat anno hujus ſæculi tertio ſupra decimum in Auſtria lues, manabatque malum quotidie latius. Carolus, qui in omne ejuſmodi contagionis periculum excubabat animo, angebatur intimis ſenſibus; quippe cui ſalus hominum, ac præcipue popularium ſuorum erat antiquiſſima. Ergo ut infinitum malum ab urbe averteret, quod finitimis regionibus vaſtitatem prope jam intulerat, cœleſtem opem implorare ſuperoſque propitiare decrevit. Quamobrem votiva omnium Ordinum ſupplicatione indicta, in qua Divæ Virginis Potſchenſis effigies, & S. Caroli ſacræ exuviæ circumferrentur, Auguſta conjuge, Aulaque tota comitantibus, luſtrataque urbe, Cæſar in Baſilica S. Stephani ſacro refectus epulo, templum Divo Carolo dedicaturum ſe palam vovit, ſi modo laboranti Auſtriæ præſenti ope adeſſet. Quod religioſi animi obſequium ratum acceptumque S. Carolus videtur habuiſſe; nam voti mox compos factus, ob cives a peſte ſervatos primum lapidem Cæſar poſuit, ac brevi templum omni apparatu ornatuque viſendum ad tectum faſtigiumque perduxit, quod & ſolemni ritu, & exquiſitis cærimoniis dedicari juſſit. Subeuntem ampliſſima porticus excipit, opere Corinthio, cujus frontem litteris majoribus æreis inſcribendam curavit in hæc verba. *Vota mea reddam in conſpectu timentium Deum*. Hinc, atque hinc geminæ præaltæ turres D. Caroli miracula reſque præclare geſtas cœlatura magnifica exhibent. Templi ambitus, moleſque vaſta, & Cæſaris munificentiæ par, ſupellex regia, aræ apparatiſſimæ, parietes miniati operis picturis conveſtiti, ampla intercolumnia, ſtylobatæ, & capitula e ſolido ære conflata, & incruſtata auro, opere admodum ſumptuoſo. Ædis apex in fornicem deſinit adeo in ſublime porrectum, ut reliquis Viennæ molibus facile emineat.

At dies me deficiat, ſi Auſtriacæ pietatis in Italia,

Belgio & ubique terrarum veſtigia perſequi velim. Quamquam quod illuſtrius Religionis Catholicæ decus, quam CAROLUS ipſe, qui totus, quantus quantus erat, ad illius præſidium, & normam natus, factus, & excultus videbatur. Quoties privatis colloquiis & ſermonibus mira facilitate & lenitate cum hæreticis congreſſus eſt? Quodque in viris principibus inuſitatum, callebat quidquid ſuper ea re vel hominum doctiſſimorum controverſiis agitatur. Sacrorum Bibliorum peritus demonſtrabat, quam turpiter iiſdem abuterentur, peritus myſteriorum, quibus Religio continetur, peritus doctrinæ morum ad Chriſti leges exactæ, quam flagitioſe ab utriſque deſciſcerent, oſtendebat. Si qui autem erant, qui non obſcure Catholicorum partes reſpectarent, ut eos omni benevolentiæ ac voluntatis ſignificatione complectebatur? Sua putabat intereſſe, ut errorem deponerent, & inter plurima, quibus diſtinebatur, graviſſimaque negotia, iſtud in voluptatis præcipua parte, atque officii ponebat. Quam multos enim vero his illic iis ad Eccleſiæ caſtra revocavit, quorum nomina ſingulorum in album referri, ac ſibi exhiberi jubebat? Atque eam ipſam ob cauſam Religioſos Ordines, qui in partem hujus Regiæ & Sacerdotalis curæ venire poterant, præcipuo quodam in honore habuit. Cum vero in Religioſis Ordinibus unum aliquem eſſe animadverteret, qui auderet ſe, & ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu Imperii Catholici, & pro communi Religione; qui gravioribus proinde hoſtium telis objectus eſſet; quem in iis locis, in quibus Hæreſis rerum potiretur, palamque armata volitaret, vexari graviter, & felici ipſius fato conflictari deprehenderet, hunc majore quodam ſtudio CAROLUS complexus eſt, hunc tueri præſertim ac tegere inſtitit. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quominus exponam, quibus laboribus pro re Catholica præclare ſuſceptis, adnitente præſertim CAROLO, perfuncta ſit Societas Jeſu. Hoc tantum dicam, hac mercede illam placuiſſe Cæſari, quam ſemper in oculis ferebat; nec leviori

pre-

pretio optimi Principis benevolentia conſtabat. Hæc igitur nobis reliqua pars eſt, hic reſtat actus, ut nos tanti Principis judicio, ac benevolentia dignos probemus, & quas ipſe partes noſtras, quæ munia putabat eſſe, his perfungi omni ope adnitamur.

Age vero quibus ex fontibus vehemens illud Religionis ſtudium in Carolum profluxerit, paucis attendite. Has nempe illi faces, hunc animi ardorem injecerat, primum orandi Numinis, ac cœleſtium rerum tractandarum conſuetudo certis repetita temporibus, ut non ante matutinis ſalutatoribus copiam ſui faceret, quam legitimam Deo precationum velut penſionem exſolveret. Quod cum per ſeſe rarum & exquiſitum, tum hac ætate ac moribus, qui ad nimiam licentiam incubuerunt, pœne inuſitatum, quanti in Principe eodemque occupatiſſimo faciendum? Diem præterea eſſe ſcitote nullum, quo die auguſtiſſimum ſacrificium offerri præſente ſe non juberet. Quam digna porro Auſtriaco Principe pietas ſeſe efferrebat in adeundis uſurpandiſque ſacris myſteriis quorum omne tempus, utroque in terram genu demiſſo, & intentis ad aram oculis, ſtatis ac deſcriptis precationum vicibus, tranſmittebat. Adde rectum æquabilemque animi tenorem illum, quem nulla deterioris exempli vis & illecebra inflexit; ex quo manabat illa in colendo Numine libertas ſanctiſſima. Quoties enim publicis precibus intereſſe viſus eſt, eadem, qua Profeta regius, pietate ſuccenſus, neque alienum a ſua dignitate ratus adjungere ſe ſacris miniſtris, ſuamque vocem eorum vocibus ad Arcam Teſtamenti conjunctis laudibus efferendam ſociare.

Ac licet rei divinæ uſque adeo deditus eſſet, ut certa precandi commentandique ſpatia nunquam omitteret, tamen eo ſtudio ſe vel a publica re adminiſtranda, vel a populorum commodis ceterarumque virtutum officiis minime patiebatur abduci. Eſt enim in Principe pietas non inſtar privatorum ſibi uni devota, ſed plane regia, ac divina virtus, quæ publicæ cuſtos felicitatis, providentiam,

cari-

caritatem, humanitatem, ac reliquas omnes ſibi adminiſtras habet comiteſque virtutes. Admonebat itaque Carolum res Catholica, arcem Imperii, commercii opibus præclare fundatam ad propulſandum poſthac inferendumque bellum Turcicum, non ſolum terreſtrium copiarum magnitudine, ſed omni etiam navali apparatu multo firmiorem inſtructioremque eſſe oportere. Hoc intellexit Carolus, huc totus incubuit. Jandiu enim animadverterat litus omne Auſtriacum pluribus introrſum æſtuariis conciſum, & portuoſum facili patere acceſſu, ac proinde maritimo commercio apprime idoneum fore. Ergo populorum felicitatem animo & ſpe in dies majore complexus, geminos portus in faucibus Adriatici ſinus, Tergeſtinum unum, Regium alterum, ad omnium rerum copiam invehendam, evehendamque ingenio loci mirifice accommodatos, regio ſumptu non modo miram in amplitudinem extulit auxitque, qua ſubmotis terris, qua exciſis rupibus, ſed ea inſuper majeſtate ac ſpecie exornavit, ut remotiſſimas regiones toto mari diviſas cum Auſtriaci Imperii finibus prope ad miraculum ſociaverit. Præterea ut agendi, contrahendique in iis portubus poteſtas & copia, quanta maxima advenis fieret, portorio, decuma, ſcriptura, reliquiſque id genus vectigalibus immunes eſſe juſſit. Atque ut ne importatis ab Oriente mercibus ſalus publica periclitaretur, ingentia ubique clauſtra excitavit, excipiendis luſtrandiſque mercibus, quæcunque mari veherentur. Quam brevi incolis adveniſque celebrari cæpta eſt urbs Portus Regii, quæ nunc præclara ad aſpectum, ædificiis apotheciſque admodum frequens, in æſtuarii oſtium aditumque projecta eſt, omnique fere ex parte alluitur mari! Quid dicam de urbe maritima S. Viti, quæ in finibus Auſtriacæ Iſtriæ, & Carniolæ, ſinui Carnario objecta, & qua ſinus introrſum recedit, portu juſtæ claſſis capaci, tutoque inſtructa, quo propter loci opportunitatem, Smyrnarum, aliarumque inſularum commercia commeant, in eam celebritatem adducta eſt, ut ad regia vectigalia non mediocris acceſſio facta ſit? Equidem illa

ipſa,

ipſa, quæ objacent litori Auſtriaco maria mutatam temporum conditionem videntur agnoſcere, ac innumerabiles illas carinas admirari, quibus ora hæc omnis maritima prætexitur; cum ad Tergeſtinum, & Flumineņſem portum, utrumqne celeberrimum atque pleniſſimum navium, nundinarum præſertim tempore, ab Italia per Padum, a Germania per minores fluvios bene multos, ex Albania, Dalmatia, Smyrnis, Byzantio, Aſiaque tota per vaſtum ſenſim allabentis Adriatici ſinum peregrini mercatores confluunt.

Indidem eſt, & ex ejuſdem pietatis, & caritatis fonte profectum, quod publico bono cavit ſanxitque lege lata, ut ne cuiquam otioſo aut vago eſſe liceret, publicis moribus ac legibus deſidiam plecti juſſit; quo nihil conducibilius ad infimæ plebis inopiam ſublevandam acuendamque induſtriam. Hac de cauſa publicis muniendis viis animum adjecit, ea molitione ſumptuque, ut Romanam in eo genere magnificentiam non requiras. Nam quo commodior in oris maritimis ab urbe commercii principe ad reliquas Imperii partes commeatus, & pacis commoda traducerentur, interjectis pontibus, rupes rupibus commiſit, vias publicas æquavit, quadratoque lapide munivit, tum, aut frænos injecit fluviis, curſuque æquabili indomitos antea Alutam, & Begam, Cæſaris ingenio ac munificentiæ obſequi docuit, aut ad ſubvectionis evectioniſque commoditatem diductione aquarum mirabili canales navium capaces in Themeſia, & Valachia effodiendos, facilique illapſu cum Danubio conjungendos curavit, ut alendis urbibus rerum omnium copiam, fovendis artibus peregrinas opes inveherent.

Ac publicarum viarum molitio fuit ejuſmodi, ut aliæ a maritimis portubus per Carinthiam ad Styriacos fines, aliæ per ſilvam Viennenſem confragoſam antea & impeditam, aut deductæ, aut ſtratæ ſint. Illa vero prodigii ſimilis viſa eſt, quæ per montem ſemeringh, qui Auſtriam a Stiria diſterminat, perruptis cuniculorum ope aſperrimis

locis,

locis, & ad rupium latera exciſis cautibus ad Neoſtadium uſque, atque ad maris Adriatici litora commercii orientalis fores Germaniæ aperuit. Quid dicam de militaribus viis, quarum una a flumine, fanoque S. Viti, urbe in finibus Iſtriæ, per altiſſimos montes ad Portum Regium, novoque flexu cis, ac trans Alpes, unde antea ſinguli pedites arcebantur, nunc deducendis plauſtris opportuna, & capax, ciſiiſque, ac tabellariis jam trita, ad Colaphim fluvium per LXV. mille paſſus, lata ac perpetua, multiſque tranſverſim procurrentibus, Caroloſtadium uſque excurrit. Alteram vero a Danubio per Valachiæ planitiem ad Alutæ litora militarem viam a Trajano Cæſare inchoatam, ac propter objectam Alpium aſperitatem, penitus intermiſſam, CAROLUS, diffractis rupibus, æquatis vallibus, ſubſtructiſque pontibus multo latiorem, in Daciam uſque Ripenſem promovit.

At populorum felicitati non uſquequaque conſultum putavit religioſiſſimus Princeps. Ita enim ſemper viſum eſt hominibus ſapientiſſimis ad publicam felicitatem duo inprimis requiri, quibus beata civium vita, quam tota Reipublicæ adminiſtrandæ ratio ſpectare ſolam debet, potiſſimum contineatur. Primum eſt ut nobilitas gloria, & honoribus floreat, alterum ut populus lucro, ac re facienda, certiſſimiſque compendiis ab inopia poſſit emergere. Cum enim ſint duo genera civium, quorum unum laudi, gloriæ, ac dignitati natum eſt; alterum opibus magis, & lucro ſervit: videtur illa eſſe Reipublicæ forma longe pulcherrima quæ hanc utriſque facultatem afferat, ut ea quibus addicti ſunt, ſtudia, non modo colere, ſed etiam ornare, & amplificare poſſint. Abſolutiſſimam hanc Imperii formam, ut primum a bellis conquievit CAROLUS, mente & cogitatione complexus eſt. Ac primo, expedita erat unicuique in aula Cæſaris ad honores via. Meritis illi paſſim, & virtuti, non gratiæ, non generi tantum tribuebantur. Quiſquis ſtrenuus, quiſquis fortis, hic germanus, hic indigena cenſebatur. Teſtes mihi tot inſignes, tum

domi,

domi, tum militiæ viri, alii ex Italia, atque adeo ex hac ipſa urbe, alii ex aliis regionibus evocati, qui ampliſſima gloriæ præmia, qui patriam ipſam in Germania repererunt. Quam multos proferre poſſem, quos annuis cenſibus, præfecturis ampliſſimis, toparchiis, titulis locupletavit, auxit, ornavit!

Quanta deinde populo oblata facultas, ut mercibus ultro citroque commutandis ad opes eniti poſſet! Perdiu jam erat, ex quo omnigenas artes in Auſtriam evocaverat exceperatque magnificis vaſtiſque ædificiis, quorum unum in Temeſienſi comitatu, alterum in urbe Lincenſi, utrumque ſerici, lini, goſſipiique frequentiſſimis textrinis inſtructum. Quid dicam de Bohemicis, Stiriacis, ac Viennenſibus officinis, partim ſubigendo metallo cudendoque in varios uſus, partim texendo auro, aliiſque id genus artefactis, ex quibus maximi compendii res populo accrevit? Quid enim alibi uſpiam in omni artium genere floruit aliquando, hodieque floret, quod Viennæ non conficiatur ab indigenis exquiſitiore artificio, minore ſumptu, majore copia? Vel ex ſola Viennenſi urbe, quæ populoſior ac plenior nunquam fuit, advena quivis Cæſareæ providentiæ capere ſpecimen aliquod poteſt; mirarique vel ex hoc uno tantum eſſe auri argentique ſive infecti, ſive facti & elaborati, tum argentariorum menſas, fabrum, atque inſtitorum apothecas, & tabernas vaſtis porticibus explicatas, ac peregrinis mercibus domeſticiſque redundantes. Quis vicos ingentes, alios unis textoribus, alios infectoribus, alios aliis artificibus addictos non ſtupeat?

Ac nolite quæſo Auditores, exiſtimare, me populari hac ſpecie, & aura longius abreptum, quam inſtituti mei ratio poſtularet; quaſi vero hæc populis parta felicitas pietatem Caroli neutiquam probet, nec ad Religionem Principis quidquam interſit, utrum illi laute beateque vivant. Tum id audirem, ſi ſibi ſoli viveret Princeps: at cum omnium ſalutem populorum, cunctamque Rempublicam complecti debeat, equidem ab officio boni Principis abduci

 illum

illum arbitrarer, ſi pietatis modum non ſalute populorum, ſed privatis ſtudiis definiret. Eſt enim pietas officiorum omnium lex, quæ niſi communis felicitatis in Principe adminiſtra & parens ſit, abnormis eſt, nec illius perſonæ accommodata. Hanc nulla res in illo magis commendat, quam illuſtris & pervagata multorum, & in ſacros Ordines, & in ſuos populares, & in omne genus hominum laus meritorum. Hoc ita perſuaſum fuit optimo Principi, ut ipſius beneficentiæ non ſola Germania terminaverit modum: latius opinione diſſeminata eſt; manavit non ſolum per Auſtriam, Hungariam, Bohemiam; verum etiam tranſcendit alpes, & Belgium Italiamque peragravit. Agraria lege ubique cavit, ut finiendis de integro metandiſque agrorum limitibus, æqua vectigalium partitio fieret. Vetuit privatis hominibus privilegia irrogari a potentioribus. Summos æque ac infimos eadem juris æquabilitate contineri juſſit. Ecquando populus difficultatem annonæ, inopiamque rei frumentariæ doluit, quin continuo, beneficentia Principis, vilitas nec opinata conſequeretur annonam cariſſimam? denique ſtudium omne eo referebat, ut ii, quibus præerat, eſſent quam beatiſſimi.

Expoſtulaverant provinciæ Belgicæ, quod, averſis in Bataviam Angliamque mercibus, parcius jam anguſtiuſque mercarentur. Doluit Cæſar urbes quondam florentiſſimas, velut exſectis commercii nervis, ſolutas & debilitatas jamdiu jacere. Quare omnes curas cogitationeſque ſtatim contulit ad Oſtendæ portum reparandum; ratus id quod erat, eam unam eſſe expeditiſſimam rationem totius maritimi quæſtus & mercaturæ ab India Americaque in Belgium transferendi. Nec fefellere ejuſmodi conſilia Anglos Hollandoſque. Quanta mole laboratum ab iis eſt, ut incitatos Cæſaris impetus retardarent, veriti ne quæſtuoſa ipſorum negotiatio interverteretur! Vidit ſapientiſſimus Princeps Bataviam quaſi adactis ad vitalia telis jam commoveri; vidit fore ut nihil inauſum, nihil intentatum relinquerent, quos commercii cura coquebat unice. Res ad arma jam

ſpecta-

ſpectare videbatur. Quo magis miror Cæſarem in ſumma rei expediendæ voluntate, hac rerum perturbatione impendente, declinaſſe paululum, & ſpe reliquæ tranquillitatis præſentes fluctus tempeſtateſque vitaſſe. Quamquam hujus conſilii incœptique ſua laus Cæſarem manet ſemperque manebit. Erumpat enim aliquando vera illa, ac Tullio digna vox: Quandiu conſilia Principum eventis ponderare pergimus, & cui bene quid proceſſerit, multum illum providiſſe: cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicemus? quaſi vero, nihil eſſe videatur, niſi divinare, ſapientis. Immovero hæc palmaria laus eſt Principis, hæc potior, in tanta temeritate fortunæ, quam nemo de ſeipſo præſtare poteſt, conſilium ſuum, quod ſemel adamaverit, tanquam navigium aliquod, atque curſum, mutata velificatione, ex Reipublicæ tempeſtate moderari. Hac ille rerum perſpicientia ſolertiaque Imperium diuturna pace firmavit.

Reſpiciat enim jam ſeipſam Auſtria: videat impoſitas arces finibus, portus adjectos litoribus, inducta novis alveis flumina, invia montium patefacta. Quid reliquum illi erat, quod ad publicæ felicitatis cumulum aut optaret, aut fingeret? Jampridem CAROLUS Auguſti tempora, jactatamque illius aurei ſæculi felicitatem revocaverat, reſtitutis in priſtinum ſplendorem artibus ingenuis, accitis undique in Auſtriam, ut doctrinarum domicilium, viris ingenio juxta & eruditione præſtantibus, tum conquiſitis orbe toto voluminibus aucta ornataque Palatina Bibliotheca, quam publico commodo patere juſſit. Quam multis ſcientiarum profeſſoribus attributa publice ſtipendia? Quantus mathematicis diſciplinis honos habitus?

Ac nemini mirum profecto videri debet, quod litteras & bonas artes Cæſar munifica largitate, tot Academiis exceperit, & ad Aulæ ipſius conſuetudinem traduxerit, qui ab extrema pueritia ipſe ſe totum illis abdiderat, quas, non ut ſolent viri principes, deguſtarat, & attigerat; ſed ex reconditis earum abditiſque fontibus hauſtam Philoſophiæ, Matheſeos, Juris Civilis cognitionem multiplicem,

linguarum vero peritiam pene ſingularem ita mente complexus erat, ita memoria ſepſerat; ut quacunque de re non modo copioſe, verum etiam eleganter ac diſerte loqueretur ex tempore. Nec vero unquam ſilebitur admirabilis illa in legibus interpretandis, æquitate explicanda, ſcientia, quæ CAROLI dicta, facta, ac cogitata ad omnem Juris normam, & legum formulas ita conformaverat, ut nemo unus aut ſanctior ſit habitus, aut ſeverior. In quo cum mirifica eſſet ad clementiam & lenitatem indoles, ut vel ex aſpectu ipſo, & oculorum conjectu ſuaviſſimus quidam odor humanitatis afflaretur; erat idem tamen in ſancienda legum auctoritate certus ac conſtans; nihil ut obtineri per gratiam, aut impetrari precibus, aut utilitatis aliqua ſpe remitti & condonari pateretur.

Neque vero verendum, credo, erat, ne juſtitiæ laus, cujus ſemper fuit appetentiſſimus, quidquam de indulgentiſſimi Patris clementia decerperet. Nam qui reliquas CAROLI dotes attentius contemplantur, iis una quædam occurrit in omnem ejus vitæ partem fuſa ac late patens, moderata nempe leniſque natura, quæ rerum agendarum aditus molles captet, ac æquitati plus tribuat, quam viribus, & poteſtati. Quam non obſcura hujus animi ſui indicia dedit! Quoties repreſſit ipſe ſeſe quodammodo, & inhibuit, ac properantem de medio curſu interpellare victoriam quandoque non recuſavit, ut hoſtes belli feralis aliquando pertæſi ad meliora pacis ſtudia converterent animos, ac ſe tanta æquitate, & moderatione vinci paterentur! Teſtis eſt Hungaria, in qua ineunte ſæculo nondum reſederat civilium bellorum æſtus, quo annis ſuperioribus univerſæ florentiſſimi illius regni provinciæ penitus conflagraverant. Alebatur adhuc doloſo cineri ſuppoſitus ignis: nec deerat Thrax, quo inſtigante, quaſi flabello ſeditionis, illa tum fuerat populorum calamitas ventilata. Unus demum fuit CAROLUS, qui hydram hanc ſeris etiam metuendam nepotibus plane conficeret. At quibus armis? exilione, morte, proſcriptionibus? Immovero inuſitato quodam ac prope novo belli genere,

bene-

beneficiis, clementia, humanitate. Ubi Imperator? ubi victor? ubi CAROLUS ille? ubi plena Imperii nomina, plena poteſtatis? Videbatur hæc omnia oblitus, ut ſe parentem optimum meminiſſet. Non imperantem victis victorem, ſed patrem liberis conſulentem diceres. Obruere poterat majeſtatis pondere; erigere clementia maluit: poterat cogere; invitavit: frangere licebat; libuit leniter inclinare. Atque hanc Cæſaris clementiam non extorſit metus, non expreſſit rebellium robur, non Imperii calamitas aliqua perſuaſit; victi hoſtes foris, omnia domi tranquilla, Imperatoria auctoritas tanta, quantam in alio ullo fuiſſe non legimus antea vel audivimus. At vero, qui naturæ ipſius habitu prope divino facilis ac clemens in hoſtes uſque adeo fuerat; quibus ſtudiis egenos, & calamitatis alicujus fortuito vulnere affectos proſequebatur, qua benevolentia complectebatur! His regium valetudinarium tribus pauperum millibus alendis par, his quatuor nationum Xenodochium, his Noſocomium D. Nepomuceni, Seminarium S. Alexi, his denique cenſus ampliſſimos, ſplendidiſſima congiaria, ac regia plane munera munificus Princeps, atque amantiſſimus Parens donavit. Militibus vero, qui aut a vulneribus invalidi, aut affecta ætate, confectiſque ſtipendiis miſſionem jam obtinuerant, & vacationem onerum militarium, providit, ut ædibus ſumptuoſiſſimis, alteris Budæ, Pragæ alteris, ære Principis laxe & magnifice habitarent, ac ſplendide alerentur; rem indignam ratus triumphales manus corroganda ſtipe demitti. Age vero, illa res quantam declarat ejuſdem hominis caritatem. Nemo Viennæ fuit, quin viderit, quam faciles ad Cæſarem pauperum aditus eſſent. Nihil opus erat, quæ prima eſt miſerorum cautio, tentare quonam modo dicendo miſericordiam Principis commoverent: occurrebat ipſa ſupplicibus, & calamitoſis nullius oratione evocata. Jubebat ſtatim referri in album, proponique nomina eorum, qui honeſto loco nati naufragium fortunarum fecerant, quorum calamitati ita proſpiciebat, ut pudori parceret. Quantis enim vero, & quam profuſis ſumptibus

conſtitit CAROLO hæc pietas! Recens eſt, & ad populorum famam commendationemque manavit latius, quod referam. Cum enim proximo bello ærarii Præfectus anguſtias vectigalium cauſaretur, & moneret CAROLUM, ne tot privatis in pauperes erogationibus ærarium exhauriret diſtraheretque, CAROLUS, ſedato vultu: miror, inquit, adduci te potuiſſe, ut hac intempeſtiva ſapientia, ne tantulum quidem, commoveri me poſſe putares: erraſti re tota: perge porro, & ſic habeto; Quidquid pecuniarum meo nomine miſeris erogaveris, a Deo diſſolutum iri confido cum fœnore, nedum ſine intertrimento. Præclara vox Catholico Cæſare vere digna! Exordiendum ſcilicet ab hac mihi fuerat eximiæ caritatis laude, quam unam reliquis illius virtutibus omnibus antepono. Illæ quidem majoribus quaſi theatris propoſitæ ſunt, & plane populares, quæ & ſecundis Imperii acclamationibus, & bellico illo tumultu, & fragore circumſonant. Verum miſeris præſto eſſe, eorum ſalutem opibus, ærario, fortunis omnibus potiorem ducere, familias nobilitate ac virtute præſtantes, non modo extollere jacentes, ſed etiam labentes excipere, pendentes ſuſtinere officiis omnibus: hæc qui faciat, nec illius animi aciem perſtringat ſplendor ſui nominis, nec mentis quaſi luminibus officiat altitudo fortunæ & gloriæ, ego illum plane ſimillimum iis judico, qui ad Divorum religionem ſanctimoniamque emigrarunt.

Habetis jam, quoniam is erat exorſus orationis meæ, tot tantiſque CAROLI virtutibus, Religioni dedicatum Imperium; bellum, pax, Imperii regendi adminiſtrandique ratio ex unius Religionis nutu arbitrioque ſuſpenſa. Eſtne aliquid amplius, quod Deo litandum veluti ſit? Eſt, Auditores, eſt aliquid majus. Quid illud? CAROLUS ipſe. Hæc erat digna Deo victima, quam repoſcebat Religio; atque illo primo domeſtico vulnere, tentavit, opinor, conſtantiam CAROLI. Hunc quaſi gradum quemdam atque aditum ad cetera virtutum decora jactum intelligetis. Meminiſtis, Auditores, neque adhuc obductum eſt vulnus illud acerbiſſimum, cum Imperii columen, Au-

ſtriacæ ſtirpis germen illud unicum, tot impetratum votis in funere Leopoldi concidiſſe, exaruiſſe proſpeximus; quem ſcilicet hac lege permiſerant Superi, ut ſero darent, eriperent cito. Hanc CAROLO brevem felicitatis uſuram idem annus attulit, idem ademit. Quis tum non ingemuit? Quis non arſit dolore? At CAROLUS quam non abjecte, quam omnino modice; immovero quanta pietatis ſignificatione caſum illum tulit! Rei divinæ intererat, cum ecce trepidus nuncius in aurem inſuſſurrat, Leopoldum mortem obiiſſe, eo puncto temporis. Perſtitit paululum ſui ſimilis Cæſar eodem vultu habituque. Tum fortibus oculis cœlum intuens; *bene eſt*, inquit, *Dominus dedit*, *Dominus abſtulit*, *ſit nomen Domini benedictum*. Nec plura effatus, ſacris myſteriis, cœptoque ſacrificio operam dare perrexit priſtino pietatis tenore. O Religio CAROLI! quam altis connixa radicibus, & progreſſa longius eſſe debuit, quæ mali tanti acerbiſſimo nuntio neque labefactari potuit, neque dimoveri loco! Fictæ virtutes in illo turbine repentinæ calamitatis, tanquam floſculi celeriter decidunt, & excutiuntur e manibus. O dignum Superis, hominibuſque ſpectaculum! CAROLUS indejectus, immotus; neque tamen quodam incredibili robore ita ſeptus, ut ejus animum, patrii doloris ſenſus non perſtringeret. Se Imperatorem, ſe Patrem ſenſit, & utroque ſimul nomine dolebat, quod alieniſſimo Chriſtianæ Reipublicæ tempore Leopoldus extinctus, & Auſtriacæ ſobolis, & heredis Imperii triſte nobis deſiderium reliquiſſet. Stetit tamen ſui potens & victor, Deoque munus ſuum repetenti æquiſſimo animo obtulit.

Ut autem in uno CAROLO Chriſtianæ conſtantiæ quammaxime abſolutum ſimulacrum effingeret, extremam adhuc manum Deus adjecit, eumque a ſecundiſſimo victoriarum curſu in adverſa repente traduxit; eo conſilio, ut, quod de Caio Mario ſcripſit Tullius, in proſperis rebus unus ex fortunatis hominibus, in adverſis unus ex ſummis viris videretur: quo beatius eſſe Chriſtiano Imperatori nihil poteſt.

teſt: Quid enim illi hactenus quod optaret, reliquum vel fortuna, vel virtus fecerat? Fines imperii Germanici ad Mœſiam, & Daciam, famam ad ultimum uſque orbem protulerat. Experienda jam vel ipſis calamitatibus, quam alte conſtantia Cæſaris niteretur, dolenda utique fortunæ noſtræ tempora, ſed Cæſaris gloriæ expetenda. Quod licet ad vulgarem popularemque ſenſum, minus certe lætum & plauſibile ſit; tamen hoc affirmo, & pace multorum dicam, nullam fuiſſe laudem ampliorem, quam eam, quam extremis hiſce temporibus CAROLUS conſecutus eſt. Hæc enim alti & exaggerati animi dos ac præſtantia, quam ſymbolo præferebat, quanta quanta eſt, Cæſar tota tua eſt.

Occurrat itaque pauliſper vobis luctuoſa illa paucos ante annos Imperii Auſtriaci facies, bellum illud dico, de quo ita ſapientiſſimos quoſque ſentire video, nullum tam brevi temporis ſpatio, tam grave ac periculoſum excitatum fuiſſe. Ecquam putatis per hoſce annos Europæ partem pacatam fuiſſe? Quis in perturbatiſſima illa temporum procella, Imperii ſalutem non aliquo ſaltem naufragio crederet jacturaque redimendam? Hic in illo ipſo malo graviſſimaque belli offenſione Cæſar quam celſo animo erectoque in hoſtes, quam demiſſo ſupplicique in Deum caſum illorum temporum tulit! Audivimus illum, non ducum conſilia, non fortunæ temeritatem, ſed unum ſe incuſantem omnium auctorem cladium, in unum ſe ac Imperatorium caput pœnas repoſcentem, ſi modo repræſentari hac conditione ſalus populorum poſſet. O Auguſtale, O intimi penitus Regiæ abditique receſſus, toties Cæſaris lacrymis conſecrati, Vos conſcii curarum ingentium, quam ſæpe his votis perſonuiſtis!

Cum interim divina illa mens, quæ quaſi in vigilia quadam laborantis Imperii ſemper permanſerat, nec vero uſquam diſcedebat, nec a CAROLO dejiciebat oculos, in formam intuens optimi Principis, quam feliciter jam in illo, tot ærumnis expreſſerat, illa, illa, inquam, vis, Numenque divinum, quod ſæpe incredibiles huic Imperio felicitates atque opes attulit, menti Cæſaris clariſſimum lu-

lumen prætulit, atque eam agendi cogitandique ſolertiam indidit, qua nodoſiſſimæ diſcordiæ nexus prope inextricabiles & infinitos pervadere, introſpicere, & expedire poſſet. Quid enim admirabilius omnibus gentibus, quid optatius Chriſtianæ Reipublicæ accidere potuit, quam, cum bellum maximum eſſet, cujus belli exitum omnes timerent, ſapientia Cæſaris id potius extingui, quam armis & ferro rem in diſcrimen adduci?

Atque hæc illa pax eſt, cujus opinione, majorem jam cœpimus fructum; qua factum eſt, ut in tanta Imperii, tanquam orbis, converſione vix impreſſam præteriti belli orbitam videremus. Hinc prope eſt, ut eventus pugnarum varios martiſque communis eloqui palam non reformidem. Ac videte, quam non reformidem. Videte quanta lux ſapientiæ CAROLI, animi, conſilii, fortitudinis mihi apud vos dicenti oboriatur? planiſſime dicam, ut omnes intelligant. Anceps & varia fuit per hoſce annos belli fortuna. Arces captæ complures, Provinciæ uno aditu atque adventu occupatæ. Semel ad Parmam, iterum ad Quiſtellum inſtructa acie dimicatum eſt a Cæſarianis: alternis victi fuimus, alternis victores. Quid? Num vobis videor caute & pedetentim de rebus invidioſis dicere? Num tacitos veſtros ſenſus extimeſcere? Verendum fortaſſe mihi eſt, ne imprudens huc inciderim? quaſi vero ſubſit neſcio quid adhuc opinionis incommodæ? Immo vero, ut circumſpiciamus omnia, nihil profecto minus. Periculoſum olim fuerat in illis Imperii tenebris, quid plane ſperandum, quid deſperandum eſſet, vaticinari. At diſcuſſa jam eſt illa caligo, diluxit, patet, videmus omnia; adempta ſilendi lex; Quæ fuerint pacis conditiones, probe noſtis. Bello ablata reſtituantur: Inſubria Auſtriaci juris eſto: Parma, Placentia, Emiliæ urbibus cedant victores. Filisburgum Germaniæ clauſtrum ſit rurſus in Imperii poteſtate. Polonia hoſtis abſtineat; obſidemque firmatæ concordiæ Lotharingiam accipiat Stanislaus Rex; ac Joanni Gaſtoni primo heres ſcribatur Dux Lotharingiæ, cunctamque Etruriam obtineat eo jure, quo qui optimo.

MA-

Maria Theresia filiarum Cæſaris natu maxima, quaſi pignus pacis nunquam interituræ, Duci Lotharingiæ nubat: Auſtriacæ ditionis regna omnia habeat, uni heredi, pragmaticæ, quod ajunt, Sanctionis lege addicta. O novum, & inauditum victorum munus, urbes & provincias reddere! Prima hæc certe belli lex eſt & conditio, quam ſibi ipſis juſſerunt victores ſapientia Caroli jam devicti, quos prope pœnituit felicitatis ſuæ. Fortunata vero lux, ac quaſi natalis hujus Imperii viſa eſt, cum iis conditionibus pax convenit, eoque res Imperii poſuit loco, ut non modo vetera illa bellorum ſemina & faces extinxerit, ſed, quantum non quivis unus e populo, ſed æſtimator prudens conjicere poteſt, redituro etiam bello quodammodo præcluſerit viam.

Verum enimvero, quod diuturnæ pacis præclare jacta ſint fundamenta, ſpem mihi faciunt, non Auſtriaci Imperii robur, non arcium munimenta, non Regum fœdera; modica inclinatio temporum, motuſque ſubitus rerum vertit hæc omnia; at ſtabilem & diutiſſime manſuram pacem, hæc ſola Cæſaris Religio, hæc ſola pietas ſperare jubet. Fuerunt apti ex hac cauſa pendenteſque ſucceſſus illi rerum, & hæc tanta, qua ſubito convaluimus, & recreati ſumus, tranquillitas pacis. Equidem centeſima prope lux eſt ab interitu Cæſaris. Scitis per hoſce dies creberrimum fuiſſe ſermonem, quanta impenderet procella Reipublicæ: at falſi fuimus omnes. Menſis unus, alter, tertius: Ecquæ adhuc increpuit ſuſpicio tumultus? Vix evanido belli turbine, ut leviſſime dicam, Imperii fines afflari ſenſimus; quamvis animum intempeſtivæ gloriæ ſtimulis incitatum, revocet jam per ſeſe Rex veræ laudis haud ignarus, & reflectat. A reliquis provinciis nihildum belli allatum eſt, ne rumoris quidem. Omnia nobis evenere aliter ac nos ſenſimus: non tamen aliter atque Carolus præ ſe ſemper tulerat; hac ille ſpe mortem oppetiit libens.

Etenim illa ipſa ſerenitas oris, fatidicum neſcio quid habebat, in eaque inerat quoddam temporum augurium futurorum. Nam ſecurus ſui, ac ſuorum, eodem vultu, quo Imperatoriam chlamydem, laureatos faſces, triumphantes

tes olim duces, eodem, inquam, vultu mortem immaturam adeo, magniſque conſiliis importunam conſtantiſſime excepit. Quis non ſuſpexit vel in ipſa morte, Auſtriacæ pietatis hereditarium ſenſum? Quid enim aliud prædicabant, quæ tum paſſim recitabantur litteræ? Narrabant ſacris myſteriis ſemel iterumque expiari religioſiſſime voluiſſe: narrabant extremum ſenſum Religioni Cæſarem reſervaſſe, quam commendatam, & concreditam Heredi voluit, ut nihil ſupra: delataque ad ipſum Pontificii Internuncii manibus Euchariſtia, ea dixiſſe, quæ lacrimarum vim omnibus extorſerint: mortem videri ſibi neque inexpectatam, neque intempeſtivam, neque metuendam; ſed quamdam quaſi migrationem commutationemque domus. Extremæ hæ voces fuere, quas fideliter ad nos perſcripſit, qui erat ei a confeſſionibus, vir integerrimus. Denique febre paulatim exedente, plenus gloria, & recte factis crebro Dei Matrem, ſæpe cœleſtes, ſæpiſſime Crucifixum Servatorem compellans, morte ſacris quoque hominibus invidenda, exceſſit e vivis Carolus annos natus quinque ſupra quinquaginta.

Quamquam non totus interiit Carolus; non totus denique extinctus eſt. Vivit in Theresia Austriaca: in illa, Auſtriacæ ſtirpis laudes, nomen, gloriam ſera poſteritas venerabitur. Hoc populi, hoc urbes, iſti, qui me circumſtant, Magiſtratus augurantur. Faciet enim vero. At præclara, & luculenta quaſi reclamatione veſtra, nimis hoc lentum eſſe regiæ beneficentiæ ſignificatis. Ita plane. Fecit. Pergite cives, legite, quas jam habetis, regias litteras, teſtes indulgentiſſimæ voluntatis; ſpes veſtras, vota veſtra occupavit.

Sed finis ſit, voſque in primis ſuperi, ac te præſertim, Leopolde Sancte, Auſtriæ præſes, & inter indigetes Divos huic Imperio, & Auſtriaco nomini addictiſſime, vos inquam, aris affuſi ſuppliceſque precabimur, ut hæc dona, quæ in Auſtriacam domum, & univerſum hoc Imperium tam effuſe congeſſiſtis, propria velitis eſſe, ac perpetua, & hanc tantam publicæ rei felicitatem auctore Carolo partam in ejus Heredem Theresiam derivari, magnis incrementis auctam amplificatamque jubeatis.

SPECIAL
94-B10437

THE GETTY CENTER
LIBRARY